20. 38. 43 47 (bis) 53. 165. 58. 112. 113. 115. 116. 118. 126.
149. 155. 157. 168.

Locke 94,
53.335

(von Wagner.

Rec. in Jen. L. Z. 1839. N. 199 S. 145–49.
Zimm. Zschr. 1840. Nr. 131. (von Feldbausch)
Hall. L. Z. 1841. Ergzbl. Nr. 15. S. 113–120.
(die Würdigung der Spitzfindigkeiten Od. 1,1,22. mit p. 120 verglichen ist.) Schneidewin in Philol. 1842. XXXIV, 4. S. 481–84. XLIII, 3. p. 363 Vgl. Kurze zu Tursellin S. 883. Hand im Lexicon d. Lat. 57. S. 446. Daniel zu Vell. Paterc. II, 119, 4.

De usu numeri pluralis apud poetas Latinos. Scr. C. G. Jacob in Seeb. "Archiv" 1842. VIII. 2. p. 165–207.

[redacted]

QUAESTIONES EPICAE

SEU

SYMBOLAE

AD GRAMMATICAM LATINAM POETICAM.

SCRIPSIT

CAROLUS GEORGIUS IACOB,

AA. LL. M., PH. D., PROF. PORT.

QUEDLINBURGI ET LIPSIAE.

SUMTUS FECIT GODOFR. BASSIUS.

1839.

PHILIPPO WAGNERO,

AA. LL. M., PH. DR., ILLUSTRIS CRUCIANEI DRESDENSIS CONRECTORI,

EDITORI VIRGILII HEYNIANI CELEBERRIMO

S. D. P.

CAROLUS GEORGIUS IACOB.

Quadriennium fere est, *Vir Optime*, ex quo Tu valetudinis reficiendae causa fontes Cusanos in proxima mea vicinitate adiisti. In qua commoratione aestiva mihi contigit, ut Te, cum quo mihi per nonnullos annos literarum usus fuerat, primum de facie noscerem atque Tua salutatione mirifice delectarer. Itaque redeo non sine maxima voluptate in memoriam illius temporis et suavissimorum sermonum, quibus nos multas horas exegimus, tum de Virgilio aliisque poetis latinis, qui utrumque nostrum captum tenent, colloquentes, tum de schola Portensi, in qua Tu dulcissimo literarum bonarum pabulo innutritus fuisti, de studiis humanitatis certorumque hominum in Germania pruritu, ne dicam insania, illas artes e scholis nostris plane exterminandi ita confabulantes, ut fieri solet inter amicos, id est, libere atque sincere. Neque haec amicitia post reditum Tuum in urbem patriam imminuta est. Nam quum ego anno superiore Welleri, cuius medici magna est fama et apud Dresdenses et apud externos homines, senten-

tiam de oculo aegro exploraturus, Dresdam adiissem, quam iucundo Tu me excepisti hospitio, quam dulci sermone me exhilarasti, quam blanda oratione spem meliorem in me aluisti et fovisti! Itaque facta est illa Dresdensis commoratio gratissima, neque solum amoenitate urbis, quam omnes certatis laudibus praedicant, sed multo magis Tua humanitate, comitate et eximia officiorum multitudine, quas virtutes longe maiores habeo illa urbis Tuae pulchritudine.

Haec igitur beneficia, *Vir Amicissime*, quum menti meae haereant infixa, ego iam dudum cogitaveram, publicum Tibi exhibere amicitiae testem et verae in Te observantiae documentum. Cui rei hic liber, quem in manibus tenes, haud inepte inservire videtur. Egi enim in eo de poetis latinis sermonisque eorum proprietatibus. Tales quidem disquisitiones quum ab iis optime diiudicentur, penes quos est acerrimus pulchri et venusti sensus, magna lectionis copia et accurata poetarum cognitio, ego vix dubitare potui, ad Te potissimum, *mi* Wagnere, hunc Quaestionum Epicarum librum mittere. Nam etsi in Tuas laudes iustas, ne modestiam Tuam lacessam laedamve, vel hac opportunitate data excurrere nolo, tamen id vere affirmare posse mihi videor, Tuam Virgilii editionem inter omnes poetarum latinorum editiones, quales ex satis longo temporis intervallo vidimus, facile principatum tenere. Habemus in ea multorum annorum labores continuos et in hoc uno poeta intentos et defixos, tum libros manu ſcriptos partim iterum excussos, partim recens collatos et ita adhibitos, ut et prudentia in lectionum delectu et constantia in legibus iustae et modestae criticae servandis carmina Virgiliana eam, qua digna sunt, formam in-

duisse iure dicantur. His dotibus non minor habenda est exquisitioris doctrinae ubertas, summa cum Virgilio familiaritas, e qua subtilis nata est interpretatio singulorum locorum, tum elegantia scribendi et egregii rerum criticarum et grammaticarum thesauri, quos in Quaestionibus Virgilianis comportatos et sapienter digestos omnes laetantur, qui studiorum suorum sedem in poetis latinis collocaverunt. Ultimo loco commemoranda est TUA in Heynium pietas, quam anno praegresso Frider. Iacobsius, vir multiplici doctrina praestans et humanitate inter omnes, qui ab hac arte nomen trahunt, longe princeps, merito praeconio celebravit [1]). Ut Heynius, vir de studiis antiquitatis immortaliter meritus, philologus per totam vitam fuerat mitissimus et veram nostrarum literarum laudem ab rixarum atrocitate conviciorumque rusticitate quam maxime abhorrere censuerat, ita TU, WAGNERE *Suavissime*, in opere Heyniano multa quidem pro novi editoris officio retractasti, emendasti, expolivisti, sed ne uno quidem in loco summi viri memoriam alto despexisti supercilio aut gloriolam aliquam ex ambitiosa humanissimi viri censura captare voluisti. Quod ut exemplum omnes, qui hodie illud *Ἡμεῖς μὲν πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι* identidem exclamare solent, ante oculos habeant velim TUAQUE ratione edocti discant, illum in omni genere comitatis et lenitatis excellentem esse debere, qui ab liberalibus disciplinis est instructissimus.

Sed ad meum librum redeundum est. Qui liber quo modo factus sit, TE, *mi* WAGNERE, non ignorare arbitror. Nam quum ego ante hos decem annos prae-

[1]) Vid. Script. Miscell. T. VI. p. 589.

ceptor Coloniensis solemnium Gymnasii Friderico-Guilelmiani (cui Deus faveat!) causa occasionem aliquid publice scribendi nactus essem, huius rei materiem e Virgilio sumpsi, in quem et Tu et ego quasi de compacto incideramus. Disquisitionibus igitur Virgilianis editis eam, quam cum poeta contraxeram, familiaritatem lectione ceterorum Epicorum augere et quidquid mihi superfuit otii a quotidiano scholarum opere his literis tribuere coepi. Relicta vero sede Coloniensi, cuius memoria tum propter discipulorum bonos mores et progressus in optimis literis, tum propter dulcissimum cum amicis, quos habebam plurimos, convictum aliasque urbis Rhenanae opportunitates vivendi, in omne tempus me tenebit, et cum statione Portensi commutata, illa studia in rebus novis, spe mea longe inferioribus, magnum solatium atque condimentum esse saepe intellexi. Nosti, *Amice*, me iam per plures annos ab illis scholasticis officiis, e quibus antea uberrimos laborum cepi fructus, abstractum et in arctiora spatia reductum, nosti me ἑκόντα ἀέκοντί γε θυμῷ ad multas occupationes coactum esse, nosti denique, quantam iacturam morte Langii, quo auctore Portam denuo migraveram, fecerim. Cuius viri, ὃς ἀμύμων ἦεν καὶ ἀμύμονα εἶδε, memoriam apud Te quo libentius renovem, effecit et Tua cum illo necessitudo et singulare studium quo Langius, ut ipse poetarum latinorum erat amantissimus, ita in scholis suis adolescentes ad eosdem incendere mentesque eorum ad haec praestantissima antiquitatis monumenta excitare et impellere solebat.

At quorsum haec? inquient fortasse, qui haec legunt et me minus sibi notum habent. Ignoscant vero loquacitati meae atque id hominum amantium esse re-

cordentur, qui quos amant haud facile a se dimittant. Praeterea hanc habet licentiam id, quo apud Te utor, genus scribendi familiare, ut si paullo plura verba de nobis fecisse videamur, lectores nos non impudentiae cuiusdam accusent, sed benevole statuant, verbositatis causam e summa necessitudine derivandam esse, quae nisi esset, sane talis epistola non in publicum emissa fuisset. Sed ad alia et graviora transeamus, quibus rationem consilii mei in hoc libro conficiendo uberius coram Te exponam.

Scribenti mihi de poetis latinis Epicis nescio quid animum commovet et fere perturbat. Nam qui inde a literis renatis per plura saecula his scriptoribus summus honor habitus fuerat, is, si de Virgilio fortasse excipimus iudicia, plane sublatus esse videtur. Tum elegantissimi in cultioribus Europae terris homines impense amabant Lucani et in verbis et in sententiis gravitatem, praedicabant Silii Italici sensus generosos et amorem rerum Romanarum, maximi faciebant Statii calorem et impetum nativumque in rebus locisve describendis colorem, laudabant denique Claudiani altos spiritus atque felix ingenium. Consumebant viri amplissimi, Itali, Galli, Germani, Angli, Batavi, aetatis florem in his poetis legendis, interpretandis et imitandis otiique sui partem dulcissimam in amoenis Musarum viretis peragebant honestissimumque senectutis constituebant domicilium. Haec omnia hodie prorsus mutata videmus. Quod licet in rebus humanis saepenumero fiat, ut quodque saeculum multa obliviscenda proferat secuturo, quae, ut Hermannus vere dixit [2]), oblivioni tradere officium

[2]) Praefat. Eurip. Iphig. Taur. p. VI.

est, attamen singulares quaedam causae accesserunt, quae Epicis latinis pristinam laudem detraxerunt atque honorem. Cuius rei tres causas observasse mihi videor. Ac primum mutatio studiorum philologicorum, quae in saeculo decimo octavo evenit, id effecit, ut quae studia olim clarissimorum omnis aetatis ordinisque hominum fuerant deliciae, tum a certis quibusdam viris doctis sibi vindicarentur. Quae res quum per se minime esset noxia vel perniciosa, immo florentissimum adduxisset bonarum artium statum, offecit tamen studiis eorum, qui literarum ipsarum causa et doctrinae elegantioris cupidi libris veterum dulcissimam otii partem consecrare solebant. Nam ambitu doctrinarum antiquarum in dies crescente et singularum artium, historiae, mythologiae, grammaticae, pomoeriis prolatis, multo pauciores quam in priori tempore inventi sunt, qui sola veterum scriptorum suavitate adducti, aut morum emendandorum causa, non propter curiosam cognitionis amplificandae cupiditatem, in illarum literarum studiis vitae tabernacula ponerent. Itaque accidit, ut in splendidissimis incrementis, quae apud Germanos philologia inde a Gesneri, Heynii, Ernestii, Beckii, Wolfii et Hermanni temporibus ceperat, prae grammaticis et metricis occupationibus pulchritudinis venustatisque cura haud raro languesceret, immo apud plures muro velut interiecto a rerum vel verborum intelligentia secluderetur. Quod quo gravius et infelicius Epicis latinis accideret, ipsa latinarum literarum effecit conditio. In hac re alteram causam contineri putamus. Quum enim in ultimis saeculi praeteriti annis et in primis nostri saeculi omnium fere philologorum cura in graecis scriptoribus legendis et explanandis unice occupata esset, viris praestantissimis du-

cibus, literae latinae, id quod summi illi doctores nunquam voluerunt, a maxima discipulorum parte graecis literis posthabebantur et a communi doctorum virorum consuetudine propemodum prohibitae tantum dignae habebantur, in quae gymnasiorum et seminariorum alumni operam suam impenderent. Nam quo quis rerum novarum studiosior erat (haec sunt Eichstadii verba [3])) vel indoctior, eo magis linguam exsulem risit, oppressam contempsit, in iacentem insultavit. Perlustranti enim indices scholarum academicarum per quindecim h. s. annos priores, mirum in modum patebit, quam neglecti iacuerint tum scriptores latini, exceptis fortasse Tacito vel Horatio aliisque paucis, qui *rari nant in gurgite vasto* [4]). Cuius fati quum neque Cicero neque Virgilius, praestantissimi et dicendi et sentiendi magistri, immunes fuissent, seriores poetae latini, Epici praecipue, plane erant sepositi et abiecti, neque ulla lectione aut cura digni habebantur. His tertia causa accedebat. Exorti enim sunt circa finem saeculi superioris Kantii, Reinholdii, Fichtii, Schellingii, principum in sua do-

---

[3]) In scriptione academica viri disertissimi de novo Olmonis consilio civitatem latinam fundandi (Ienae, 1822) p. 6.

[4]) Haec fuerunt illa tempora, de quibus Heinrichius, iudex intelligentissimus, ante hos viginti annos in praefatione Orationum Ciceronis pro Scauro, Tullio et Flacco cet. p. XXI. graviter conquestus est: Latinitatem germanam ac probam et hodie frigere apud multos vel eorum, qui palam antiquas literas profitentur, neque sane diutius posse negligi, et non latius eius inscientiam propagari, nisi ut, quum ad omnem eruditionem et ad ipsas illas, quas multi nunc solas colunt callentque, graecas literas, tum vero ad publicam bonarum artium institutionem ingens, et Germanis praesertim turpe, damnum accedat." Haec iure suo Heinrichius: sed gratulamur nobis nostro tempore maiorem literarum latinarum honorem apud philologos non solum edictis principum, sed ipsarum literarum dignitate et auctoritate restitutum.

ctrina virorum, inepti et temerarii sectatores, qui tenebricosa sua praecepta et aesthetica deliramenta pro novis artis pulchri venustique regulis venditarent multosque poetas, qui antea boni et laudabiles existimati erant, ex hoc numero exsulare iuberent. Tum perpaucis modo licuit esse poetis, omnes fere ceteri, quamquam homines non hebetes, tamen ad omnes alias artes magis apti quam ad poesin ferebantur et tantum versibus faciendis adsueti. Tales igitur vociferatores, qui vel iustissimae summorum Germaniae poetarum gloriae invidebant, Epicos latinos misere lacerare solebant. Ex his ventosorum Aestheticorum, ut Ruhnkeniano utar vocabulo [5]), scholis multos iuniorum, qui prorsus nulla illorum poetarum lectione tincti erant, eadem opinio invasit, quasi Epici latini modo in argumentis prosaicis poetica veste amiciendis elaborassent et luxuriantis eloquentiae generis studiosi verbis, antithesibus et tropis cumulatis lusissent, sententias in immensum variassent vel distendissent et suae doctrinae ostentandae potius quam rei tractandae memores, plurimis in locis, quod deceret, plane non intellexissent.

Tales obtrectationes si in hac epistola coram TE, WAGNERE *Doctissime*, fusius impugnare vellem, rem actam agerem. Scilicet TU, optimus illorum poetarum interpres, nihil ex his, quae ad eos tuendos dici possunt, ignoras. Neque ego is sum, qui omnia in illis poetis, Virgilio serioribus, laudabilia esse contendam. Nam a quo tempore magnam otii partem his poetis legendis impenderam, facile in hanc sententiam sum adductus, ut intelligerem Epicos Romanorum seriores a

[5]) In epistolis ad Ernestium: cfr. Opuscul. Vol. II. p. 689. p. 733. edit. Friedemann.

prisca pulchritudine et verecundia saepe ad luxuriam et audaciam deflexisse, pro veterum ingenio et vigore ambitiosum et sollicitum artis studium ostentasse, pro gravi carmine ineptos lusus adhibuisse, illa vero vitia tam callide occultasse, ut haud paucos priorum aetatum pulchritudinis specie fefellissent [6]. Itaque fidi et boni interpretis esse putavi, talia vitia non tacere, sed sincere declarare, licet non illa usus acerbitate et reprehendendi libidine, qualem Io. Christ. Theoph. Ernestius et Io. Casp. Frid. Manso in commentationibus suis monstrarunt [7], sed potius Gesneri, in quo erat summum ingenium cum magna doctrina copulatum, secutus exemplum. Hic in praefatione editionis, qua de Claudiano insigniter meruit, ita scripsit [8]: „illud volui efficere, poeta ut intelligatur: tum iudicio iuvare volui iuniorum iudicium, quid pulchrum atque decens, et summorum poetarum simile putarem, ostendendo; et contra ea, ubi aberrasse illum a natura, a magnis exemplis, a decoro, arbitrarer cum fide indicando“. Invenies igitur, *Vir Doctissime*, nonnullos in libro meo locos, in quibus vel Virgilius, politissimus poeta, qui ex Tuo iudicio interdum dormitavit, vitii arguitur, multo vero plures, in quibus Silium, Statium, Valerium Flaccum, Lucanum et Clau-

---

[6]) Cfr. Handii verba in praefatione Statii p. X.: „Latini poetae iis quidem temporibus, ubi poetae disciplina et studio informari coeperant, diversis causis deducti, id maximopere spectabant, ut, quoniam plurimas res ab aliis tractatas, et ipsas poeseos leges antiquatas existimabant, novis formis ingenii facultatem exercerent, et si hac destituti fuerint, artificiis approbationem sibi impetrarent.“

[7]) Ille in commentatione de Elocutionis Poetarum Latinorum Luxurie in Beckii Actis Semin. Reg. et Societ. Philol. Lips. Vol. II. P. 1., hic in Additament. ad Sulzeri Theor. Art. T. VII. P. 1. p. 337. sq. et T. VIII. P. 2. p. 296. sq.

[8]) p. XIV.

dianum argutias, ieiunitates vel abundantias in carmina sua admisisse significavi. Neque ego hac ratione uni ex antiquis scriptoribus, quos maximi facio et quos hoc ipso tempore contra malevolorum vel imperitorum hominum impetus omni ratione tuendos defendendosque esse censeo, aliquid a debita reverentia atque vera dignitate detraxisse puto.

Praetermissis illis quae ad censuram pulchri, recti et decori in illis poetis spectant, complura alia in poetis Epicis singulari cura et diligentiori perscrutatione digna mihi visa sunt. Verissime enim Godofr. Bernhardy [9]) observavit, male eos agere, qui vitia latinitatis, quam dicunt, argenteae a conditione morum in primo saeculo aerae Christianae non satis distinguentes, literarum, quae fuit in illa aetate, culturam propter immoderatum populi luxum et imperium Caesarum nullis finibus circumscriptum exsanguem et enervatam appellarunt. Contra eximius ille philologus docuit, nullum fere in historia literarum antiquarum exstitisse tempus, in quo tantus tamque communis omnibus ordinibus ardor in doctrinis artibusque promovendis apparuisset, neque illis hominibus prudens et subtile de optimis dicendi generibus iudicium defuisse vel solertissimam curam in iis, quae a maioribus apte et praeclare essent cogitata, praecepta et facta, legendis, imitandis et in vita exprimendis. Nocuit tamen his virtutibus, ut Seneca [10]) dixit, intemperantia literarum et, quod idem addere noluit, ea civitatis regendae ratio, quae fere nullam ingeniorum varietatem passa est. Quae quum Bernhardy idoneis argumentis comprobasset, non plane inu-

9) In historia liter. Roman. p. 41.
10) Epist. 106. extr.

tilem operam in sermone Epicorum latinorum illustrando consumi intellexi. Nam ut tum demum aetas aliqua literarum recte potest aut laudari aut vituperari, si universa, quibus illius scriptores usi sunt, vocabulorum copia ita est explorata, ut eam quasi in numerato habeamus, in qua re singuli editores, ut Tu in Virgilio, Heldius in Caesare, Kritzius in Sallustio, Bachius in Ovidio, Schmidius in Horatio, Dissenius in Tibullo, Bonnellius in Quinctiliano insignia ediderunt diligentiae documenta, ita ego in Epicis latinis primum doctrinam Epithetorum illustrandam suscepi, tum dictionis in universum rationem habui et de singulis verbis, de eorum constructione et orationis conformatione, de imitatione Virgilii atque de sermonis poetici exquisitioris indole et natura disputavi. In quo commentandi genere Virgilium, ut par erat, ducem mihi feci. Sed quum Tuae editionis ubertas, Wagnere, mihi de eadem re disserendi facultatem saepe praeripuerit, malui tamen haec mea τεμάχη εἶναι τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων, ut Aeschylum de suis tragoediis dixisse Athenaeus retulit [11]), quam omne congerendi et scribendi consilium plane deponere. Itaque quae Tu docte, sed modo obiter in compluribus locis tetigisti, fusius persequi apud animum constitui. Ita — ut hoc unum addam — Tu de Epithetis Virgilianis passim locutus es, sed nunquam in hoc argumento tantum commoratus, quantum ego in colligendis illis locis et ad certam artis rationem ordinandis versatus sum. Tum alios poetas Epicos tractavi, quibus Tu pro Tuae editionis consilio rarius uti potuisti atque hac ratione id ex parte assequi studui, quod Heynius [12])

---

11) Deipnosoph. VIII. p. 348.

12) In praefat. edit. sec. p. XLIII. Idem fere fuit Ruhnkenii

a futuro Virgilii editore postulaverat. Iubet ille non modo locos similes et parallelos inani ac vana ambitione congerere (quod, ut spero, nullo in loco mihi accidit), verum poetas illos, qui sese totos ad Virgilium composuerint, et in ipsa elocutione singulis versibus et verbis eum expresserint, quam maxime ad interpretationem et explicationem locorum Virgilianorum adhibere.

His igitur consideratis et apud animum ponderatis, *Vir Praestantissime*, me in grammaticae poeticae finibus continere statui. Si qui forte, ut sunt hodie supercilіosi grammatici, meum laborem improbent, propterea quod non in enodandis verborum radicibus atque in vocabulis e multis linguis conglutinandis versatur, quae via in grammaticis linguae Sanscritanae amatoribus unice recta esse videtur, id non moleste fero. Habeo enim in hac re Te, *mi* Wagnere, multosque alios bonos et eruditos viros consentientes, qui etymologiae iustum tribuunt honorem et Humboldtium, Grimmium et Boppium, viros incredibilis inexhaustaeque doctrinae, maximo prosequuntur cultu et observantia, illis tamen eorum sectatoribus, qui utramque antiquitatis linguam prae Indorum sapientia e celso suae maiestatis fastigio deiiciendam esse opinantur, acriter repugnant [13]. Sed ne in haec longius evagemur, alteram accipe causam, Wagnere, qua iis, qui grammaticis latinis concinnandis operam dant, aliqua ex parte saltem profuisse puto. Etenim saepe miratus sum,

consilium, in epistola ad Heynium perscriptum. (Vol. II. p. 669. Friedem.).

[13]) Qua in re satis erit laudasse Doederlinum in praefat. Synonym. Latin. Vol. IV. p. 11. sq. et Handium in libro: *Theorie des latein. Styls* S. 39. et 158. Iusto vehementius, ni fallor, Ellendtius in Praefat. Lexic. Sophocl.: „qui graece et latine nesciunt, Sanscritice balbutire malunt." Cfr. contra Lobeck. Paralip. Grammat. Graec. p. 126. not.

quod qui grammaticas latinas nostro tempore, talium librorum feracissimo, conscripserunt, Zumptius, Schulzius, Billrothius, Grotefendii, sermonis poetici nullam fere rationem habuerunt et in hoc genere a Matthiaei sedulitate et diligentia quam plurimum superantur. Paullo maiorem curam Ramshornius huic rei impendit, primus tamen illius sermonis leges et proprietatem dilucide enucleavit et cum prosaria oratione luculenter comparavit Ferd. Handius in eo libro, qui, ut Turs, Wagnere, utar verbis 14), haud scio an omnibus, quicumque de recta et subtili linguae latinae cognitione egregie meruerunt, palmam eripuerit, in aureo illo Tursellino. Et, quum exemplaribus Ianii libri de arte poetica latina magnam partem, ut audio, divenditis certo non defuturus sit, qui aliquando huic libro bonae fruges pleno novam impendat operam grammaticamque scribat poeticam latinam, qualem Hermannus 15) e Tragicis graecis contextam optavit, illi fortasse symbolae meae non plane erunt inutiles vel infructuosae.

Iam quum omnis talium observationum finis et in critica et in interpretatione locorum contineatur, ego mihi quoque hunc duplicem finem proposui. Quod ad criticam pertinet, multi sane supersunt in carminibus Epicorum posteriorum loci, qui manum flagitant salutiferam, id quod Gesnerus de Claudiano, Weichertus de Valerio Flacco, Handius, Iacobsius et Menkius de Statio, Weberus et Weisius de Lucano abunde docuerunt. Quorum igitur virorum acumine et doctrina quum satis multi loci sint sanati, nova subsidia e libris manu scriptis collatis vel conferendis ad verba poetarum corrigen-

14) ad Aen. VI. 772.

15) In praefat. Sophocl. Oedip. Tyrann. p. V. ed. sec.

da exspectare iubemur, ut nuper a Fr. Dübnero in nova Statii editione Parisiensi factum est. Talia vero artis criticae praesidia nondum nactus prudentius duxi operam meam in certis locis ab inani coniectandi periculo vindicandis et lectione e bonis libris atque nexu verborum stabilienda collocare quam violentas iisdem iniicere manus et, ut medici faciunt ad urendum et secandum promti, eos tum persanatos existimare. Ad quam criticam rationem duplex me permovit causa. Nam primum ita a natura sum factus, ut haud facile in coniecturas incidam vel quae ab aliis hominibus frustra sunt quaesita, ab ingenio suppleam. Neque mihi coniecturae tamquam gramina et herbae ad nocturnum rorem nascuntur, quod de se Iustus Lipsius et Richardus Bentleius, viri non minus ingenii felicitate quam vastis doctrinae copiis admirabiles, professi sunt [16]), quibus tertium in hoc genere inter populares Fridericum Iacobsium adnumeramus, qui εὐστοχίᾳ sua nunquam est gloriatus, laude tamen doctrinae et acuminis nulli philologorum est inferior. Tum si in ceteris scriptoribus latinis, at certe in Epicis magna in coniecturis in ordinem verborum recipiendis cautio est adhibenda. Nam lubrica res est in hoc poetarum genere, qui haud raro nativa sermonis venustate non contenti, acumina captant et, ut ingeniosiores videantur, trita et communia spernunt. In quo quidem latissimo campo Tu ipse, *Vir Celeberrime*, optime nosti, quantum sibi Barthius, Heinsii, Burmanni, Marklandus et Gronovius indulserint. Multa ab his eruditis viris, qui latinos poetas summo ardore complexi

---

[16]) Ille Elector. II. 23., hic in Epistola ad Hemsterhusium, quam vitae Hemsterhusii, a Ruhnkenio scriptae, adiunxerunt bibliopolae Batavi, p. 88. (p. 33. ed. Lindemann.).

erant, optime sunt excogitata, nihil fere prorsus ineptum fuit vel absurdum vel contra leges sermonis novatum, sed iidem saepius ultra necessitatem ingressi erant in monumenta antiquitatis, in quibus crebro locum quendam intactum relinquere praestat, quam, ut Bothius et Sprengelius in poetis latinis fecerunt, intempestivo corrigendi impetu omnia vellere et turbare atque quidvis potius quam veritatem elicere [17]). Itaque parcior fui in

[17]) Sunt vero in his poetis non pauci loci, in quibus editoribus et aliis viris eruditis opo variantis scripturae seu ingenii felicitate tam blande manum scriptoris restituere contigit, ut tales coniecturae ad praeclarissimas emendationes sine dubitatione referri possint. Huius generis sunt plures Valerii Flacci loci, unus, qui legitur II. 621. *Stupuitque fragorem Taurus* (vulgo *Ianus*) *et occiduis regnator montibus Atlas*, ex emendatione Withofii Annotat. Crit. Fasciaul. 5. p. 28., iure ita ab I. A. Wagnero scriptus, alter I. 841. *Quos omnes lenis, plantas et lampada quassans, Progenies Atlantis agit*, ita correctus a Weicherto in Comment. I. de Medea oestro percita p. 8. not., tertius VIII. 446. (al. 462). *Qualem Ogygias quum tollit in arces Bacchus, et Aoniis inlidit Thyiada truncis*, ut Wagnerus et Weichertus ex egregia Heinsii coniectura (vulg. *tympana*) ediderunt. His addantur verba Lucani IX. 218. *Quum Tarchondimotus* (vulg. *Tarcho in motus*) *linquendi signa Catonis Sustulit*, quod Grotii ingenio debetur. E Statio haec modo laudabo. Silv. I. 2, 244. *Non talis niveos strinxit Lavinia vultus Cum Turno spectante rubet*, in q. l. *tinxit* legendum esse Tu, *Wagnere*, ad Aen. XII. 66. docuisti. Alteram scripturam Handius tuetur. Silv. IV. 1, 25. *Moribus atque tuis gaudent turmaeque tribusque*, in quo loco Marklandus reposuit *fascibus*, sed multo leniori mutatione Iacobsius in Matthiaei Misc. Philol. Vol. I. P. 1. p. 96. *ortibus*. Ib. 3, 17. *Et Patrem* (vulg. *Pacem*) *propria domo reponit*, quod Weichertus coniecit in Epist. ad Sturzium p. 10. Pergamus ad Thebaida. In IV. 54. male legebatur: *Huc mergere suetae Ora et anhelantes tuto Phlegethonte cerastae*, sed Handius Tursell. T. III. p. 104. mutavit *tuto* in *toto*. Ibid. VIII. 355. Rob. Ungerus, doctus iuvenis, in Specim. rerum Thebaic., Halis Sax. a. 1834. edito, p. 21. unius literulae additamento sustulit vitium in v. *Proetides* scribendo *Proetiades*. In Claudiani carmine de bell. Gildon. (v. 91.) ingeniosa est Barthii coniectura: *haurire venena Impulimus dirum Annibalem* p. *Syphacem*, qua mutatione et versus legibus et historiae consulitur. Hac de causa Weberus nuper eandem, lectore tamen non monito, in

coniecturis probandis locosque pro viribus magis explanare quam cum tanto errandi periculo tentare studui.

Restat, ut quaedam de mea interpretandi ratione adiiciantur. Cuius finis primarius quum in Epithetorum epicorum illustratione positus esset, triplex mihi assignavi munus, primum, locis poetarum, quam diligentissime fieri potuit, collectis uti, tum praecepta, quae de Epithetorum ratione a viris doctis data huc illuc sparsa extarent, iterum examinare, omnia denique perspicue ordinis lege adstringere et in formam artis redigere. In his omnibus saepius contra priores editores disputandum fuit, e quibus Batavos plurimi facio. Illos enim, qui hodie hoc genus literarum amplectuntur, exempla summae eruditionis habere fas est, neque prae perfectiore, quam nostra aetas reperit, interpretationis arte negligere aut contemnere, id quod Tu quoque, *Vir Eruditissime*, nuperrime bene significasti [18]). De locis, quibus usus sum, suus, ut spero, sensus quemque docebit, eos a me non ex indicibus corrasos aut ex aliis observationum libris depromptos esse. Quorum locorum quum satis sufficientem numerum collegisse mihi viderer, magis magisque tamen intelligere coepi, multa restare quae nescirem neque omnia in tali opere ab uno

---

Corpus Poet. Latin. admisit, quod Gesnerus, qui religiosissimus fuit in lectionibus receptis servandis, licet suspectis, non ausus erat. Viri excellentis dignum aemulum invenimus Te, *Wagnere*, qui in annotatione ad Virgil. Eclog. III. 110. coniecturam *haud* in ordinem verborum intulisti p. *aut*, „non ut, quae Tua sunt verba, verum me assecutum considerem, sed ut saltem legeretur aliquid, quod intelligi possit.“ Ceteras, quibus Virgilii verba refinxisti, coniecturas in margine notare solitus es, ut Aen. VII. 570., IX. 67., X. 188., 700., XI. 206. al.

[18]) In Tua Gratiani carminis, quod Reinh. Sternius edidit, censura, qui legitur in Ephemer. Univ. Liter. a. 1837. seid. 65.

comprehendi posse; numquam enim, ut vere Terentius dixit,

ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuat,
Quin res, aetas, usus semper aliquid apportet novi.

Eiusmodi locos vel in dictionibus notis atque obviis interdum comportare et augere consilii mei ratio praecipiebat, ut in re, quae ab integro erat repetenda novorumque praesidiorum genere instruenda, fieri solet. Iam si qui sint, ut fortasse erunt, qui me in hoc interpretandi negotio copiosiorem, quam par erat, fuisse dicant mihique cantilenam illam *μὴ θυλάκῳ σπείρειν* occinant, eos ad consilium meum respicere volo, quo de bonis literis non ita quidem me meritum esse censeo, ut summa illa atque mirifica inter philologos ingenia, sed certe pro meo virium modulo aliqua ex parte his studiis consuluisse existimaverim. Etenim in eo, ad quem literae nostrae quotidie crescunt, ambitu, operam me non plane supervacaneam, WAGNERE, suscepisse arbitror, qui de nonnullis latinae syntaxis partibus ita disputavi, ut locis poetarum excerptis, notatis et dispositis, iisque non omissis, quae in prioribus commentariis scriptionibusque minoribus hominum doctorum, ut Beckii, Obbarii, C. F. Hermanni, Axtii, Lübkeri, Corn. Mülleri, Ahlemeyeri, aliorum [19]), has literas adiuvant, studia ipsa

---

19) Scriptionem I. Fr. Ern. Meyeri, quam vir solertissimus de Epithetorum ornantium vi, natura et usu apud graecos et latinos poetas Utini a. 1837. edidit, modo in uno alterove loco citare potui; nam usus est Meyerus ratione, quae a mea plane abhorret. Attamen additamenta ad meum librum, in quo de Epithetis ornantibus separatim egi, egregia in Meyeri prolusione invenient qui harum rerum studiosi sunt. Doeringii libellum scholasticum de coloribus veterum, Gothae a. 1788. scriptum et a me frustra quaesitum obtulit mihi post libri confectionem Wüstemannus meus, qui in Sylloge Opusculorum Doeringii, quam prudenter et docte parat, illam disputationem iterum typis exprimi curabit.

aliquid emolumenti caperent nostrisque hominibus taediosissimus quaerendi et comparandi labor aliquantum levaretur. Ea quoque de causa illam Quaestionum formam elegi, in qua digressiones atque uberiores quam in editionibus ipsorum poetarum enarrationes usu et exemplo virorum doctorum probatae sunt ac receptae. Quod denique ad praecepta et formam artis, secundum quam huius libri sectiones et capita distinxi, attinet, ea verba hic repetere non opus est, quibus in secundo prooemii capite indolem et naturam totius commentationis de Epithetis copiosius descripsi.

Quae igitur interpretandi ratio ut et Tibi, Wagnere *Praestantissime*, qui in veterum Romanorum Epicis habitas, et aliis aequis intelligentibusque iudicibus, qui antiquitatis literas et ad cognitionem suavissimas et ad fructum ingenii uberrimas esse censent, probetur, magnopere opto. Id tantum certo scio, me rem meam non festinanter vel inconsiderate vel ambitiose gessisse. Fortasse commentatio aliquanto plenior et melior futura erat, si eam etiam nunc nonum, quod aiunt, pressissem in annum; sed quamquam ingenue fateor, tempus, quod in illa elaboranda consumpsi, non multum ab numero Horatiano distare, attamen ne sic quidem, opere diutius ducendo, summam perfecti speciem ac formam assecutus essem. Itaque satius duxi dare quod haberem, qualecunque id esset, non immemor vocis illius Goethianae [20]), nos in tali opere semper habere, quod emendemus et perpoliamus, attamen in eo edendo, si pro temporis ratione et virium facultate optima quaevis ei praestita sint, contentos esse debere.

---

[20]) In Itinere Italico, Opp. T. XXVIII. p. 56.

En, *Vir Amicissime*, epistolam habes satis longam et verbosam. Sed me semel excitatum et ad scribendum impulsum sive argumenti suavitas atque ubertas induxerunt, ut plura, quam initio constitueram, ad Te scriberem, sive id quod Horatius cantoribus saepe accidere dixit,

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi numquam desistant

neque solum est vitium cantorum, sed aliorum quoque scriptorum. Utut haec sunt, Tu, *mi* Wagnere, hnnc librum eo excipias velim animo, quo a me confectus est. Cuius habitus externus licet non tantum habeat nitoris, quantum Tua Virgilii editio, attamen ab externa chartae et literarum specie satis bene instructus est ab redemtore, viro honestissimo. Ut vero liber vitiis typographicis fere prorsus careat, provisum est cura et diligentia *Car. Herm. Weisii*, viri doctissimi, cui publice grates sunt habendae, tum *Car. Keilii*, Collegae Coniunctissimi, qni, si, quod optandum est, operosus indicum conficiendorum labor ipsi otium concesserit, mox libro aliquo Plutarcheo edito huius scriptoris studiosos magnopere sibi devinciet. Tu vero, *Vir Eximie* et *ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ*, vale et quantum temporis ab ordinariis muneris negotiis discipulorumque Tuorum caritate abstraxeris, id ad nostras literas et ornandas et promovendas adhibe. Valetudinem Tuam cura diligentissime addatque Summum Numen, gravioribus morbis depulsis, eam sanitatis perennitatem, quam in hac anniversaria temporis commutatione pie et ardenter Tibi apprecor. Uxorem Tuam, feminam lectissimam, Silli-

giumque doctissimum meo nomine salutabis meque tui amantissimum mutuo amabis. Dabam Portae ipsis Calendis Ianuariis anni MDCCCXXXIX.

Prooemium.

Caput primum.

Praemittuntur quaedam de Epithetis Homericis.

Commune est omnibus omnium populorum poetis, ut artis suae documenta splendidissima in Epithetis cum delectu positis edere studeant. Neque cuiquam dubium esse potest, quin in Epithetis, quae veteres interdum tropis atque figuris adnumeraverunt, [1]) magna carminis virtus cernatur et maxima fere pars colorum orationis contineatur. Sunt enim in iisdem tantae opportunitates ad ornandum, ad illuminandum, ad delectandum propositae, ut paene nullum dictionis poeticae genus fingi possit, quod illa non recipiant aut adiuvent. Itaque recte scripsit Hermogenes in libri de Formis Orat. secundi cap. 5. p. 409. edit. Colon. Allobrog.: *γλυκεῖα λέξις καὶ ἡ διὰ τῶν ἐπιθέτων ὀνομάτων καὶ κατ᾽ αὐτὴν δὲ τὴν ποίησιν φύσει οὖσαν γλυκεῖαν, παρὰ τὸν ἄλλον λόγον, ἐκφαίνεται τὰ ἐπίθετα καὶ γλυκύτερά πως ὄντα καὶ πλείονα ποιοῦντα τὴν ἡδονήν. Ταῦτά τοι καὶ ὁ Στησίχορος σφόδρα ἡδὺς δοκεῖ εἶναι διὰ τὸ πολλοῖς χρῆσθαι τοῖς ἐπιθέτοις.* Quibus verbis utrum Hermogenes Stesichorum laudare an vitiosam Epithetorum in illius carminibus redundantiam silentio praeterire voluerit, discernere non valemus: cfr. Welckerum in censura reliquiarum Stesichori, quas O. Kleinius edidit, in Iahnii Annalib. Philolog. a. 1829. Vol. I. P. 2., p. 146 s. Attamen poeticum ingenium iure quodam suo postulare potest, ut quibus orationis ornamentis ceteros scriptores tantum parce et moderate uti oporteat, iis frequentius, cumulatius et liberius utatur. Quod poetis Aristoteles in Rhetor. III. 3 his vocabulis concessit: *τρίτον δ᾽ ἐν τοῖς ἐπιθέτοις τὸ ἢ μακροῖς ἢ ἀκαίροις ἢ πυκνοῖς χρῆσθαι· ἐν μὲν γὰρ ποιήσει πρέπει γάλα λευκὸν εἰπεῖν, ἐν δὲ λόγῳ τὰ μὲν ἀπρεπέστερα, τὰ δὲ, ἂν ᾖ κατακορῆ, ἐξελέγχει καὶ ποιεῖ φανερὸν ὅτι ποίησίς ἐστιν· ἐπεὶ δεῖ γε χρῆσθαι αὐτῇ· ἐξαλλάττει γὰρ τὸ εἰωθὸς καὶ ξενικὴν ποιεῖ τὴν λέξιν. ἀλλὰ δεῖ στοχάζεσθαι τοῦ μετρίου, ἐπεὶ μεῖζον*

[1]) V. Quintilian. IX. 1, 3. et 6. Cfr. VIII. 2, 10. et. 6, 39. 40. Add. *Handium* in libro: *Theorie des latein. Styls S.* 444 seq.

ποιεῖ κακὸν τοῦ εἰκῇ λέγειν· ἡ μὲν γὰρ οὐκ ἔχει τὸ εὖ, ἡ δὲ τὸ κακῶς. διὸ τὰ Ἀλκιδάμαντος ψυχρὰ φαίνεται· οὐ γὰρ ὡς ἡδύσματι χρῆται ἀλλ' ὡς ἐδέσματι τοῖς ἐπιθέτοις. Simili ratione, ut Alcidamas ab Aristotele, illi poetae inter veteres, e quibus modo Claudianum et Ausonium nominemus, atque nonnulli Francogalli inter recentiores, iure a censoribus ob illam consuetudinem vituperati sunt, qua tum se carmina praestantissime et affabre facta composuisse putent, quum nullum substantivum, quodcunque sit et quomodocunque conveniat, sine Epitheto aliquo posuerint et sic omne argumentum Epithetis non tam ornaverint quam oneraverint et quasi obruerint. Itaque boni veterum poetae in Epithetorum collocatione circumspecte et prudenter versati sunt, neque id commiserunt, ut in tenui vel humili dicendi genere immoderate ponerent Epitheta vel in locis splendidis et magnificis vim atque impetum sententiae mora et tarditate orationis infringerent aut certe nimis magno verborum ornatu in hunc solum legentium animos converterent.

Sunt autem in universum duo genera Epithetorum distinguenda, unum *Necessaria*, quae omitti non possunt, quin loci sensus detrimentum capiat, alterum *Arbitraria* (ut appellationem a *I. C. Th. Ernestio* introductam sequamur [2])), quibus rerum, quae nominibus appositis significantur, proprietates vel affectiones ita declarantur, ut ea declaratio e cuiusvis scriptoris ingenio, iudicio et doctrina pendere videatur. De prioribus Epithetis plura dicere nihil ad hunc locum attinet, nisi illud fortasse adiiciendum sit, eximios veterum poetas vel in his operam dedisse, ut exquisitius loquerentur et a vulgari ratione, quae vocabula passim, nullo delectu habito, quasi e trivio arripit atque in versuum ordinem ingerit, studiose recederent. Ex quo intelligitur, nostram disputationem modo ad ea Epitheta pertinere, quae Arbitraria nominavimus.

§. 2.

In qua disquisitione, si iusta et accommodata via progredi volumus, ea paullo altius repetenda et ad antiquissimorum poetarum morem revocanda est. Nam ut in aliis rebus, quae poesin spectant, ita in Epithetorum doctrina explicanda Homerum et auctorem et ducem libentissime sequimur. Sunt quidem

---

2) In Commentatione de Elocutionis Poetarum Latinorum Luxurie, quae legitur in *Beckii* Actis Semin. Reg. et Soc. Phil. Lips. Vol. II. P. I. Locus, quem significavimus, est p. 156. Nos pluribus in locis Professori eloquentissimo nonnulla debere, ingenue fatemur, neque tamen negamus, illius censuram haud raro paullo acerbiorem et de Epithetis Homericis fere iniustam nobis visam esse.

Epitheta pars praecipua et gravissimum poesis Homericae subsidium. Quae quum cunctis rebus laetissimam affundat speciem, animum summa impleat voluptate et benigno suo afflatu exhilaret et recreet, tum nulla fere in re suam indolem luculentius declarat, quam in hac excellenti exornatione non solum grandium et magnificarum, sed etiam tenuium et parvarum rerum. Est enim hoc proprium ingenio poetico, ut rerum vel naturae contemplatione vel vitae humanae usu cognitarum imagines ita sensibus nostris admoveat, ut non tam animo intelligere quam oculis conspicere opinemur. In quo Homerum ut alios vetustissimos poetas natura ipsa et propior naturae adspectus adiuvit: praeterea insidebat in eius mente eximia quaedam pulchritudinis species, in qua defixus artem ad illius similitudinem dirigebat. Hinc nata est illustris illa in carminibus Homericis per Epitheta explanatio rerumque, quasi gerantur, sub adspectum paene subiectio, quam omnis aetas iustis laudibus concelebravit et in qua summam picturae similitudinem inesse iam veteres scriptores testimonio suo comprobaverunt. Nota est vox Ciceronis, qui Homeri poesin appellat picturam (Tuscul. Quaest. V. 39, 114) et quum de eius caecitate, qua nonnulli eum laborasse tradidissent, locutus esset, ita pergit: „quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, quae acies, quòd remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, ut, quae ipse non viderit, nos, ut videremus, effecerit.“ [3]).

Quum igitur Epitheta Homerica iam per se sint suavissima et rebus, quae mente comprehensae fuerint, ad sensus revocandis magnopere accommodata, accedit iustus ille delectus in beatissima poetae ubertate et modus in Epithetis additis prudentissime servatus. Progreditur quidem oratio Homerica in verbis et locutionibus castigata tam aequabili et verecundo tenore [4]), ut suus cuique loco, actioni, Deo, homini, rei honor tribuatur [5]). Nam ut Homerus ipse (Odyss. VI. 43.) Olympi

---

[3]) Similiter *Miltonus*, qui non modo caecus fuisse narratur, sed re vera fuit (*Paradise lost* III. 26.):

yet not the more
Cease I to wander, where the Muses haunt,
Clear spring, or shady grove, or sunny hill.

[4]) Sunt verba *Wolfii* in Prolegom. Homeric. p. LXXI.

[5]) Egregie *A. G. Schlegelius* in censura Homeri Vossiani (vid. illius librum: *Kritische Schriften*, Vol. I. p. 119.) de his Epithetis: „*Die Beiwörter gehören wesentlich zum Charakter seiner Poesie: es liegt*

cacumen semper quietum esse ait, propterea quod altius sit quam ut eo vis ventorum tempestatumque perveniat, ita huius poetae animus sublimior atque excelsior est quam ut perturbationibus humanis aut nimia laude aut acerba vituperatione admodum commoveatur et a statu suo deiiciatur illosque ictus sentiat, quibus impulsi alii poetae se tantum narratores rerum gestarum esse putent, se vero actores esse debere plane obliviscantur. Perfectissimum epicae narrationis in Homeri carminibus exstare documentum, quis est qui nesciat? Non male igitur Themistius ex hac Homeri indole, qua ad bona et decora Epitheta in rerum hominumque descriptione propensus est, animum Homeri fuisse benevolentissimum collegit eumque omnia quasi virgulae magicae tactu in aurum mutare, certe ne minimas quidem res sine aliquo splendore commemorare voluisse dixit. In qua universa laudatione unum modo Thersiten, rerum egregie gestarum reprehensorem, excepit. Haec sunt verba Rhetoris in Orat. XXI. p. 264. A. ed. Harduin.: *ἴστε γάρ που ὅτι Ὅμηρος πάντα ὅσα ὀνομάζει καὶ ἐπαινεῖ καὶ οὐδὲ τὰ πάνυ φαῦλα ἀπαξιοῖ τῆς ἀγαθῆς μαρτυρίας· ἀλλὰ καὶ τὰ παιδία* (scr. *πέδιλα* [6])) *αὐτῷ καλά, καὶ αἱ μάστιγες ἅπασαι φαειναί· ὑπεράγαται δὲ καὶ φυτὸν ἐν Δήλῳ πεφυτευμένον· καὶ οὐδὲ ὁ συβώτης αὐτῷ ὁ χρηστὸς ἀμοιρεῖ ἐν τοῖς ἔπεσιν εὐφημίας.*

§. 3.

Haec carminum Homericorum virtus in Deorum Dearumque Epithetis maxime apparet. Quo nomine quum olim Ho-

---

in der freundlichen Ansicht der Dinge, die uns in ihr erquickt, dafs sie jedem Gegenstande, sey er noch so gering oder unscheinbar, irgend etwas wohllautend nachzurühmen weifs; und das Verweilen bei der sinnlichen Handlung bezeichnet, so wie die unermüdliche Stetigkeit der sanften Rhythmen, das ruhige, einfache Fortschreiten der Handlung, worin nichts übereilt wird und Alles bis auf das Kochen und Braten, Essen und Trinken bequemen Raum findet." Cui iudicio poetae docti aliud apponamus *Antonii Prokeschii*, viri belli ac togae artibus dotibusque ingenii eminentissimi (ut more Velleiano loquar) in libro: *Denkwürdigkeiten und Erinnerungen aus dem Orient*, quem anno progresso edidit *Ernestus Münchius*. Hic ita de Homero T. I. p. 91. loquitur: „*ich finde keinen Pinselstrich falsch, nur selten eine Wiederholung unnothwendig, nur selten einen Ausdruck am unrechten Orte. Die Wahl der Beiwörter ist wunderbar, ihre Kraft unübersehbar und unerreicht.*"

[6]) Est haec emendatio *Fr. Iacobsii* in epistol. ad *Fr. Göllerum* post illius editionem Dionysii Halic. de Compos. Verbor., p. 288, quam in suam Themistii editionem recepit *Guil. Dindorfius* p. 321. In eandem coniecturam, quod me *Iacobsius* per literas benevole do-

merum C. D. Ianius in libro suo de arte poetica latina p. 524. vituperasset, quasi nauseam per talia Epitheta lectoribus creaverit, idem hodie vix nonnullos invenerit, qui ipsi adsentirentur. Nam venerandam antiquitatis speciem ex his Epithetis per omnes praestantissimi carminis partes elucere videmus, qua detracta, si non omnis antiquitatis color, at certe magna illius pars periret. Ac primum tenendum est, veterem poetam Deos suos sine aliqua attributione nullo pacto cogitare potuisse neque in natura rerum divinarum plenissima eosdem Deos sine honorifica appellatione nominare voluisse, qua mare, fluvii, montes, flores et alia ex media rerum natura petita nobilitari solent. Deinde scienter, quae sunt verba Valckenarii in schola de Diis Graecorum [7]) p. 10., illa Epitheta excogitata erant ad designandas partes, quas Dii diversissimas in rebus huius universi administrandis obire credebantur. Cfr. Pausan. VII. 21. 3. de variis Neptuni cognominibus et quae de Epithetis, quibus Jupiter ut pater hominum Deorumque et summus omnium rerum arbiter insignitus erat, Valckenarius l. c. disputavit. Itaque poeta ad auditorum animos sibi capiendos eorumque sensus deliniendos nullo aptiore uti poterat subsidio, quam magnificis illis Deorum atque Dearum appellationibus, quae hodie quoque nos magnopere delectant et ab interpretibus Homeri certatis studiis explanantur. Sunt ex his qui dicant [8]), eiusmodi Epitheta originem suam primordiis poesis epicae debere, in quo tempore poetae, dum auditores in his Epithetis

---

cuit, postea incidit *Bevingius* in Supplement. Annal. Iahnian. Vol. I. Fasc. 3. p. 344, quem illa *Iacobsii* emeudatio latuisse videtur. Addit vir doctissimus, Boissonadium ad Homer. Vol. III. p. 368. e cod. Valcs. laudasse scripturam *πεδία*, de corruptela vero minime sollicitum, nam haec adiecit: „*ἀγροὺς καλούς, περικαλλέας* nou vice simplici apud Homcrum videre est.“ Iu fiue ex iisdem *Iacobsii* literis addimus, Themistium in illo loco Diouem Chrysostomum ante oculos habuisse, cuius verba haec suut in Orat. XXXIII. p. 397 (p. 5. ed. *R.*): *δύο γὰρ ποιητῶν γεγονότων, ἐξ ἅπαντος τοῦ αἰῶνος οἷς οὐδένα τῶν ἄλλων ξυμβαλεῖν ἄξιον, Ὁμήρου τε καὶ Ἀρχιλόχου, τούτων Ὅμηρος μὲν σχεδὸν πάντα ἐνεγκωμίασε, καὶ θηρία, καὶ φυτὰ καὶ ὕδωρ καὶ γῆν, καὶ ὅπλα καὶ ἵππους καὶ οὐδὲν ἔσθ' ὅτου μνησθεὶς χωρὶς ἐπαίνου τε καὶ τιμῆς, ὡς ἂν εἴποι τις, παρῆλθεν.*

[7]) Quam *Eichstadius* a. 1829. e libro manu scripto, qui penes ipsum est, edidit.

[8]) Ut *Schlegelius* in censura carminis *Goethiani*: *Hermann und Dorothea* in libr. citat. p. 65.

vel in versibus splendide compositis magna cum voluptate et attentione inhaerebant, iterum alios versiculos excogitare solebant. Sed talis mos omnino alienus ab indole magnorum poetarum esse videtur caloremque et impetum, quibus eos inflammatos esse iure dicimus, minime decet. Qua re magis Wolfium probamus, qui Homerum in his et aliis Epithetis, quae Ornantia nominata sunt et saepissime recurrunt, illam potissimum legem secutum esse ait, ut aures numerosa dictione suaviter explerentur neque ad id unice respexisse, ut vis substantivorum aut augeretur aut diminueretur [9]). Quae etsi ex parte concesserimus, primarium tamen fuit Homeri consilium, ut Epithetis additis res describeret et velut depingeret, ut iisdem sensus auditorum moverentur, ut mentes multitudine amoenissimarum imaginum implerentur, ut denique, qui ea audiebant, libenter et attente in iis commorarentur. Huic Homerico dicendi et ornandi mori similis est ratio, quam veteres Francogallorum poetas et fabularum equestrium scriptores in Epithetis apte delectis iniisse docemur, tum in carmine, quod inscribitur: Fierabras, tum in fragmentis antiquorum illius temporis carminum, quae ab Immanuele Bekkero collecta sunt. Nam ex his, quae ut Homeri Epitheta saepenumero recurrunt, magna cum veri specie demonstrari potest, omnia illa carmina pro communi fundamento talia Epitheta habuisse eaque ab populo fere in eundem modum accepta esse et in eius mentibus habitasse quam Epitheta Homerica [10]). Contrariam vero in hac re viam Germanorum poetae recentiores ingressi sunt [11]).

---

[9]) Vid. Annotat. ad Odyss. I. 48. in Analect. Liter. T. III. p. 154. Sed uberius *Wolfii* sententiam ex eius Scholis *Guil. Müllerus* rctulit in Collectione Operum Vol. IV. p. 295—298 et p. 315. E quibus haec excerpamus: *Homer setzt die immer wiederkehrenden Beiwörter oder läfst sie weg, einzig und allein nach der Bequemlichkeit des Rhythmus und ohne durch den Zusatz den Begriff des Hauptwortes stärken und erheben zu wollen oder durch das Weglassen den Werth und die Bedeutung desselben verringern zu wollen. Wenn er also seine Frauen und Jungfrauen bald καλαί, bald ἐϋπλόκαμοι, bald αἰδοῖαι nennt, so thut er dies blos, wie es ihm sein Rhythmus an die Hand giebt und ohne Rücksicht auf die jedesmalige Stelle, deren Bedeutung in der Wahl der Epitheta nicht in Betracht kommt.*“

[10]) Liber ipse *Bekkeri*, a. 1829. Berolini editus, quum in his terris sit rarissimus, iis modo uti potui, quae de eo leguntur in Ephemerid. Liter. Berolin. a. 1831. scid. 20. In quo loco haec Epithetorum recurrentium exempla commemorantur: *Karl mit dem blühenden Barte* (ut niveus illius color indicetur), *Alda mit dem klaren Antlitz,*

§. 4.

Post illa nomina Deorum et Dearum Homerus sensus auditorum aliis Epithetis occupavit, quae cum nominibus ipsis tam arcte copulavit, ut sive Epitheton praecederet sive postponeretur, unum fere sine altero cogitari non posset. Huius generis sunt *κλυτὸς λιμήν, κλυτὰ εἵματα, θύραι φαειναί, χθὼν εὐρυοδείη, χρύσος εὐεργής, μάστιξ φαεινή, θεὸς ἐϋπλόκαμος, γάλα λευκὸν, ἅλς πορφύρεον, κῆρυξ λιγύφθογγος*, tum vocabula *μεγαλόφρων, μεγάθυμος, δαΐφρων, ἴφθιμος* et alia. Quae tamen ut otiosa iam apud veteres nonnullis fuerunt offensioni, ut Galeno, qui de Comate cap. 2. T. II. p. 686. ita scripsit: *οὐκ ἦν τῶν ματαίως τὰ ὀνόματα ἐπιτιθέντων οὗτος ὁ ἀνὴρ* (Hippocrates) *οὔτ' ἀνοήτως πρόςκειται τῇ κ α τ α φ ο ρ ᾷ τὸ ν ω θ ρ ά, οὔτε φησιν ὥσπερ Ὅμηρος ὑγρὸν ἔλαιον καὶ γάλα λευκὸν μηδενὸς ἕνεκα διορισμοῦ· καὶ γὰρ πᾶν γάλα λευκὸν καὶ ἔλαιον ὑγρὸν.* Illud crimen Porphyrius in schol. ad Il. IV. 434. ab Homero propulsare nititur, hoc tamen, Lobeckio iudice ad Soph. Aiac. 139. p. 133., praetermittit, Epitheta non solum ad distinctionem pertinere, sed vel maxime ad emphasin et energiam. Aequior Galeno est Aristoteles in loco Rhetor. III. 3., quem iam §. 1. attulimus, et *γάλα λευκόν*, quo non Home-

Gott, der Himmel schuf und Thau, der gewölbte Schild, das Schwert mit goldnem Knauf, der goldgezierte Harnisch, das bemähnte Rofs.

[11]) De hac re *Schlegelius* in censura modo citata ita locutus est (p. 66): *„Mit gutem Grunde ist der deutsche Dichter mit Beiwörtern etwas weniger freigebig gewesen; die Beiwörter sind bei ihm nicht allgemeine Erweiterung, sondern an ihrem bestimmten Platze bedeutend und er hat sich weit häufiger der einfachen als der zusammengesetzten bedient. Wo er dergleichen selbst bildet, geschieht es auf die leichteste Weise durch Verbindung eines Umstandswortes mit einem Adjectiv oder Particip, z. B. der wohlumzäunte Weinberg, der vielbegehrende Städter, der allverderbliche Krieg. Nur einmal finden wir ein Substantiv mit einem Particip zum Epitheton verknüpft: die gartenumgebenen Häuser, welches in wohlklingender Kürze das Bild von einem zerstreut liegenden Dorfe giebt.“* Egregium exemplum plurium Epithetorum, non sine vi in uno loco coacervatorum, *Klopstockius* dedit in Messiados Libr. II. v. 1195 sq. Quae vero Epitheta quantum in poesi valeant, praeclare exposuit *Io. Paulus* in libro: *Vorschule der Aesthetik* T. II. p. 161. ed. novissimae his usus verbis: *„Die Beiwörter, die rechten und sinnlichen, sind Gaben des Genius: nur in dessen Geisterstunde und Geistertage fällt ihre Säe- und Blüthezeit. Wer ein solches Wort erst sucht, findet es schwerlich. Hier stehen Göthe und Herder voran, auch den Deutschen, nicht nur den Engländern, welche jede Sonne mit einem Umhange von beiwörtlichen Nebensonnen und Sonnenhöfen verstärken.“*

rus solum, sed etiam Pindarus, Aeschylus, Theocritus usi sunt, poetis condonat, oratoribus interdicit: non illi displicuisset ὑγρὰ ἅλς et ὑγρὰ θάλασσα apud Aeschylum Suppl. 256. ed. Well., ὑγρὸν πέλαγος apud Pindar. Pyth. IV. 40., quae ad normam Homerici κύματα ὑγρὰ sua effinxerunt iisque assimilatum est νοτερὸν ὕδωρ apud Euripid. Ion. 146. et ἅλς ἁλμυρὰ Troad. 67. Add. infra P. I. cap. 2. init. Quum igitur in talibus, quas modo enumeravimus, iam per se multa sint, quae naturam poesis Homericae abunde omnibus ante oculos ponunt, qui aliqua illorum carminum scientia imbuti sunt, tum nescio an multo clarius appareat e commemoratione rerum, quae per se omnis ornatus expertes sunt et a poeta splendidis quasi vestiuntur vocabulis. De talibus locis singillatim dicendum est. In Odyss. VI. 26.

εἵματα μέν τοι κεῖται ἀκηδέα σιγαλόεντα

vocabulum ἀκηδέα interiectum luculenter demonstrat, verba εἵματα et σιγαλόεντα nullo pacto separari posse, ut deinde v. 74.

κούρη δ' ἐκ θαλάμοιο φέρεν ἐσθῆτα φαεινήν

ad quae Scholiastes Venetus in Il. VIII. 551. annotavit: οὐκ ἐπὶ τῆς τότε, ἀλλ' ἐπὶ τῆς φύσει, et in Scholiis Buttmannianis p. 226. haec leguntur: οὐ τὴν τότε οὖσαν φαεινήν· ἀλλὰ τὴν φύσει καθαράν [12]). Similiter in Iliad. XVII. 23. filii Panthoi a Menelao, qui gravissima ira in illos est inflammatus, satis honorifice ἐϋμμελίαι appellantur [13]) et XIX. 126. Iupiter summa ob Iunonis dolum commotus indignatione narratur Aten praecipitem e coelo eiecisse, cuius tamen caput voc. λιπαροκρήδεμνος condecoratum est, sicuti Odyss. XII. 316. Aurora novum diem reducens solito vocabulo ῥοδοδάκτυλος dicitur, licet ex illis, quae ante et post hunc versum leguntur, satis patet coelum fuisse

---

[12]) Ad quem locum *Nitzschius* in Annotatt. in Odyss. T. II. p. 92: „*die lebhafte, sinnliche Vorstellung kann die Dinge kaum nennen ohne Beifügung der Prädikate, sowie sie dieselben mit dem hellesten Bewufstsein auffafst. Diefs sind die stehenden Beiwörter, diefs die so oft mifsverstandenen Epitheta ornantia.*“ Cfr. *Iahn.* ad Ovid. Trist. I. 10, 1. et *I. F. E. Meyeri* Commentationem de Epithetorum Ornantium vi et natura deque eorum usu apud Graecorum et Latinorum poetas, Utini a. 1837 editam. Quae scriptio quum post librum meum absolutum in meas manus venisset, equidem eam tantum passim citare, nec tamen opibus, quas larga manu dispensavit doctissimus *Meyerus*, uti potui.

[13]) In simili animi conditione *Volkerus* in carmine Nibelungorum v. 2167. ed. *Lachmann*. *Chriemhilden* honorificis allocutus est verbis *(vil edele Küneges wip)*.

obscurum et nimbis atque tempestatibus plenum. Porro in eiusdem libri v. 425. Ulysses in fragminibus mali et gubernaculi insidens et mortis periculum effugiens de se ipso loquitur: φερόμην ὀλοοῖς ἀνέμοισιν. Sed qui venti antea navi et sociis noxii fuerunt, ipsi hoc tempore afferunt salutem. Porro Iliad. XV. 316. χρὼς heroum λευκὸς commemoratur, quum contra Epitheton exspectamus, quo corpora solis radiis fuscata et pulvere conspersa describuntur. Homerus vero nativam corporis pulchritudinem et albicantem colorem ante oculos habuit, quam notionem vel in campo cruentae pugnae tenaciter servavit. Longe alio modo apud seriores Graecos homines λευκοὶ τὴν χρόαν nominati sunt: vid. Iacobs. ad Philostrat. Imag. I. 4. p. 230. et mea ad Lucian. Alex. 3. p. 9. Postremum in Iliad. XXI. 218. Deus Xanthus, cuius fluvius corporibus mortuorum erat repletus, ad Achillem loquitur:

πλήθει γάρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα

in quae verba ea cadunt, quae paullo supra e Scholiastarum enarrationibus adscripsi. Hunc morem dicendi secutus Virgilius in Aen. VII. 430. scripsit: *Quare age — et Phrygios, qui flumine pulchro Consedere, duces pictasque exure carinas* et eadem ex causa praesidium petendum est loco Valerii Flacci Argonaut. III. 512 — 514.

Phrygiis ultro concurrere monstris
Nempe virum, et *pulchro* reserantem Pergama ponto
Vidimus

quem iam aliis Graecorum poetarum exemplis Weichertus in Epist. crit. p. 58. tuitus est. Add. Burmann. ad Anthol. lat. T. II. p. 715. Ad idem genus Epithetorum locus Iliad. XXI. 460. referendus est, in quo Neptunus Apollinem a Troianorum partibus abducere studens illum adhortatur, ne hanc gentem diutius sub tutela habeat, sed omnino interire sinat. Nihilominus in tali sententiarum nexu mulieres Troianae appellantur αἰδοῖαι. His add. locum Hesiodeum e Theogon. 270.

Φόρκυϊ δ' αὖ Κήτω Γραίας τέκε καλλιπαρῄους

ubi bene Wolfius p. 92.: „amat vetus sermo poeticus talia Epitheta, quae quasi perpetua sunt et nominibus suis ita adhaeserunt, ut nativam vim paene deposuerint. Qui Homerum leget, quavis pagina hoc probatum viderit.“ Quid, quod ipse Horatius Carm. III. 27, 53. non plane dissimiliter Europen inducit loquentem: *Antequam turpis macies decentes Occupet malas teneraeque succus Defluat praedae.* Nam *decentes malae* naturalem indicant habitum, neque respicitur praesens perturbationis et miseriae status, nisi quis v. *decentes* ad similitudinem vocabuli Homerici φίλος, ut in φίλον ἦτορ, φίλον κῆρ,

φίλαι χεῖρες, positum esse censeat. Cfr. Meyerum l. c. p. 10 — 13. et Corn. Müllerum in Spicilegio Animadv. in Catulli Carm. in nupt. Pel. et Thet. v. 310. p. 40.

In talibus verbis recte diiudicandis id prae ceteris considerandum est, Homeri carmina non lectoribus, quales hodie esse solent, sed ἀοιδοῖς fuisse scripta et usui publico atque publicis consessibus destinata. Ad quae quum Grammatici, ceteroquin homines diligentes et solertes sermonis Homerici indagatores, non satis attendissent, evenit, ut omnia e subtilioribus suae aetatis legibus interpretarentur, et ea saepenumero negligerent, quae explicationis gratia e prisci temporis consuetudine ipsis petenda fuissent. Ita in v. δῖος maxime desudarunt, quod in diversis locis modo ad prudentiam Ulyssis, modo ad fortitudinem Achillis, modo ad Paridos pulchritudinem, modo ad Eumaei integritatem, postremo ad atrocem Charybdis speciem trahere solebant. Sed bene Nitzschius in Annot. ad Odyss. III. 266. (T. I. p. 189.) docuit, gentis nobilitatem et principum ordinem v. δῖος in primis declarari, cuius praerogativae auctor Iupiter ipse sit, regum generator. Unde omnes reges ab Homero appellantur διοτρεφέες: cf. Spanhem. ad Callimach. H. in Iov. 79. p. 30. 62. et Böttigerum in libro: *Ideen zur Kunst-Mytholog.* T. II. p. 105. Eadem de causa regibus, principibus et qui primi sunt ordinis eorumque filiis et filiabus hoc Epitheton sine ullo discrimine tribuitur, immo Iupiter ipse Hectorem et Ulyssen vocat δίους (Il. XV. 15. et Odyss. I. 65. ubi vid. Nitzsch. p. 21.). Ab eodem mare divinum (Il. XV. 163.) originis causa dicitur. Sed maxime memorabile exemplum est Iliad. VI. 160.

τῷ δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο, δῖ' Ἄντεια,
Κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι.

Cui loco similia verba ex Odyss. III. 266. ἡ δ' - ἀναίνεται ἔργον ἀεικὲς, Δῖα Κλυταιμνήστρη contulerunt. Utriusque loci eadem est ratio. Nam Antea et Clytaemnestra primo civitatis ordini erant adscriptae et ut ea de causa ante culpam commissam mulieres regii sanguinis recte appellabantur, ita post culpam Homerus illis idem Epitheton denegare non potuit. Cfr. Odyss. I. 77. ἀντίθεος Polyphemus et Iliad. IV. 88. Pandarus ἀντίθεος, qui postea vulnerato Menelao foedus violavit. Neque minus crebro quam v. δῖος apud Homerum v. ἱερὸς cum diversissimis vocabulis coniungitur, ut Il. V. 499. ἱερὴ ἀλωή, X. 56. ἱερὸν τέλος φυλάκων, XVII. 464. ἱερῷ ἐνὶ δίφρῳ, XI. 631. παρὰ δ' ἀλφίτου ἱεροῦ ἀκτήν, Odyss. XIII. 372. ἱερῆς παρὰ πυθμέν' ἐλαίης, XXIV. 81. ἱερὸς στρατός, Il. VIII. 551. Ἴλιος ἱρη (quod Epitheton cum ceteris loci illius vocabulis vix conciliari posse videtur) et XVI.

407. ἱερὸς ἰχθῦς, ubi vid. Heyn. in Observ. T. VII. p. 210. s. Sed longe disertius et elegantius vim v. ἱερὸς idem Nitzschius l. c. p. 189. declaravit, monstrans hoc vocabulum esse plenum sanctitatis atque religionis illumque pium antiquorum hominum sensum exprimere, quo moti se suaque omnia summis numinibus subiecta esse credebant, et non modo coelo, mari, terris, sed etiam silvis, fontibus, fluviis, insulis, urbibus tanquam rebus sacris aut quodam numine plenis tribuere solebant sanctitatem. Cfr. Karsten. ad Pindar. Olymp. II. 10. Idem pietatis sensus quum in einsmodi compositionibus, ut ἱερὸν μένος, ἱερὴ ἴς, plane exstinctus esse videatur, attamen in illis sive aliquid priscae gravitatis, qua antiquitus reges, θεῶν γένος, colebantur, sive significationem poetae, reges a Iove non modo ortum suum, sed etiam imperium habere, inesse puto. Aliam viam nuperrime Henr. Düntzerus in Ephemer. Antiquit. Darmstad. a. 1836. scid. 131. ingressus v. ἱερός a primitivo vocabulo ἴς derivavit, unde ἱερός in omnibus fere locis non esset *sanctus*, sed *magnus*, *ingens*, *potens*. Quae satis acute de hac re disputavit, tamen non omni ex parte pro veris habeo. Neque Wolfio assentior, qui Telemachi ἱερὰν βίαν multa agere censuit, in quibus nec virium, nec sanctitatis ratio habenda sit [14]). Talia vir summus, ut per totam vitam erat εἴρων, per iocum dicere solebat.

Quam significationem Epithetorum Ornantium modo in vv. ἱερός et δῖος, licet in rebus specie diversissimis, illustravimus, eandem nonnullis aliis locis confirmare posse existimamus. Ex his primum afferendus est locus Odyss. I. 29.

μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Αἰγίσθοιο

in quo quantum illud Epitheton interpretum ingenia exercuerit, inter omnes constat. Neque iniuria. Nam aperte sententiae loci adversari visum est. Wolfius et Nitzschius sua quisque ratione hanc repugnantiam tollere conati sunt, sed Wolfium nimis leviter, Nitzschium nimis operose rem egisse censeo. Praestat e mea sententia illa v. ἀμύμων interpretatio, quae teste Eustathio, externum corporis habitum atque pulchritudinem Aegisthi (cfr. Athen. XIII. p. 566. c. τὸ κάλλος βασιλείας οἰκεῖόν ἐστι) legentibus repraesentat. Hoc enim et regem decuit et sensus eorum, qui audiebant, non iniucunde affecit, qui, ut supra docuimus, summus erat finis poesis Homericae. Sic in Odyss. XI. 310. Otus et Ephialtes non solum μήκιστοι, quos θρέψε ζείδωρος ἄρουρα, immo etiam πολὺ κάλλιστοι nominantur atque Pindarus Olymp. VI. 128. victoribus in certaminibus in

[14]) Vid. commentationem *G. Mülleri*, quae supra laudata est, p. 298.

primis εὐκλέα μορφὰν tribuit: add. Virg. Aen. VII. 656. *satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus.* Denique — ut ad locum Odysseae redeam — cum illo locus Iliad. V. 649. comparandus est, in quo Sarpedon dicit, Herculem urbem Troianam cepisse:

ἀνέρος ἀφραδίῃσιν ἀγανοῦ Λαομέδοντος

et laudem una cum vituperatione coniungit, tum Iliad. IX. 555. de Meleagro: μητρὶ φίλῃ Ἀλθαίῃ χωόμενος κῆρ, in quibus propria v. φίλος significatio prorsus immutata est. Omissis quae de aliis Epithetis ab interpretibus passim disputata et recte constituta sunt, in vv. ἀγανὰ βέλη (Odyss. III. 279. VII. 64. XI. 318. XVIII. 202.) subsistamus. Apparet enim in hac verborum compositione mira illa sermonis Homerici suavitas, qua sagittarum ad homines interficiendos emissarum dolorem et acerbitatem lenire studet. Mortem describit subitam, nondum exspectatam, homines in optima corporis valetudine auferentem: quam ne quis cum doloribus coniunctam fuisse putet, Epitheton ἀγανὸς addidit [15]. Vid. quae de hac mortis improvisae ratione Nitzschius annotavit ad Odyss. III. 279. T. I. p. 196. s.

§. 5.

Atque haec quidem de simpliciore Epithetorum Homericorum genere. Restat alterum genus, quod paullo artificiosius excogitatum esse videtur et ex magna, qua Graeci poetae pollebant, ingenii celeritate ortum est. Illi enim Deos ipsos et res naturales, quas illorum imperio subiectas esse statuebant, ut mare, fluvios, arbores al., ita inter se confuderunt, ut Epitheta, quae Diis proprie conveniunt, accommodarent rebus, quibus praesidere dicerentur, et eas hac ratione corpore quasi circumdarent et agendi facultate instruerent. Videamus igitur locos Homeri. Iliad. XIV. 245.

ἄλλον μὲν καὶ ἔγωγε θεῶν αἰειγενετάων
ῥεῖα κατευνήσαιμι, καὶ ἂν ποταμοῖο ῥέεθρα
Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται

v. 311.

αἴ κε σιωπῇ
οἴχωμαι πρὸς δῶμα βαθυῤῥόου Ὠκεανοῖο.

---

[15]) Egregie *Schillerus* in carmine lyrico: *die Künstler*, verba Homerica reddidit: „*Der sanfte Bogen der Nothwendigkeit.*" De qua re ita *Guilielmus Humboldtus*, summus ille vir, in Praefatione Epistolarum *Schilleri* ad se datarum p. 20: „*bei Schiller giebt die Uebertragung des Beiwortes vom Geschofs auf den Bogen selbst dem Gedanken einen zartern und tiefern Sinn.*"

in quo loco Heynius haesit neque hoc Epitheton de persona Dei poni posse arbitratus est. Sed vid. ibid. v. 433 s.

ἀλλ' ὅτε δὴ πόρον ἷξον ἐϋῤῥείου ποταμοῖο
Ξάνθου δινήεντος, ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς.

et XVIII. 399.

Εὐρυνόμη, θυγάτηρ ἀψοῤῥόου Ὠκεανοῖο.

In his quae propria elementorum sunt vocabula Homerus ad Deos ipsos, qui elementis praesunt, transtulit. Cfr. Odyss. XII. 731. Quem deinde alii Graecorum poetae secuti sunt, ut Aristophanes Pac. 1081. (al. 1090).

ὡς οἱ μὲν, νέφος ἐχθρὸν ἀπωσάμενοι πολέμοιο
Εἰρήνην εἵλοντο καὶ ἱδρύσανθ' ἱερείῳ.

Av. 604.

πῶς δ' ὑγιείαν δώσουσ' αὐτοῖς οὖσαν παρὰ τοῖσι θεοῖσιν

ubi in ultimis poeta Ὑγιείαν deam cogitat. Plura vid. apud Monk. ad Eurip. Alcest. v. 50. et Fritsch. Quaest. Lucian. p. 4. s., e quibus hic multis exemplis docuit hanc consuetudinem vel in prosae libris saepenumero inveniri, si memineris, Graecos, qui coelestis augustaeque naturae iura rebus quum plurimis assignassent, haud raro commisisse, ut a divino numine ad rei, cui id praesideret, potestatem praecipites ferrentur. Ita Lucian. Somn. 7. ἐγὼ, φίλε παῖ, Ἑρμογλυφικὴ τέχνη εἰμί, ἣν χθὲς ἤρξω μανθάνειν. Add. Iacobs. ad Aelian. Histor. Anim. XI. 22. p. 391. Quae Epithetorum permutatio Latinis quoque poetis, et Epicis et Lyricis, admodum placuit, ut e multis carminum locis intelligimus. Iam si primum ad morem magis pervulgatum attendimus, Deos ita pro templis, in quibus colebantur, cum signis commemoratos esse, passim invenimus, ut apud Tibull. II. 5, 21. 22.

Nec fore credebat Romam, quum moestus ab alto
Ilion *ardentes* respiceretque *Deos*

ubi vid. Broukhusium et Dissenium. Propert. II. 6, 36.

Sed non immerito velavit aranea fanum,
Et male *desertos* occupat herba *Deos*.

Horat. Carm. I. 31, 1.

Quid *dedicatum* poscit *Apollinem*
Vates?

Cfr. Passerat. ad Propert. II. 5, 28.

Alterum dicendi genus in commixtione numinis divini et rei, cui illud praeest, tum in iis, quae ductu et auspiciis Deorum fiunt, maxime cernitur. Quum enim numina fontes et aquas et mare aliasque res naturales habitare iisque praeesse putarentur, inde plura Epitheta, quae indicant sanctam Deorum

praesentiam, ut *fons sacer* apud Ovid. Art. Am. III. 687., Virgil. Aen. VII. 83., *aqua sacra* apud Horat. Carm. I. 1, 22., *ἅλα δῖον* apud Homerum multis in locis et alia huius generis, de quibus iam supra Karstenium ad Pindar. Olymp. II. 10. laudavimus, explicanda sunt. Et quoniam, quidquid fontibus accidit, idem quoque numina ipsa pati dicebantur, ideo facillime quae rerum naturalium erant proprietates ad numina ipsa transferebantur. Contra, ut veteres deos suos humano cultu et vestitu induebant, ita etiam verba, quae proprie humani corporis partes et vestitus significant, ad Deorum naturam transferre solebant. Cuius rei testis est Atlantis descriptio in Virgil. Aen. IV. 247 sq. Sed ad prius genus redeuntes, legimus apud Statium Theb. v. 436.

> Tunc prolem Calydone satam generumque *profundi*
> *Nereos*.

IX. 370. de matre Crenaei:

> intrabat *amaram*
> *Dorida*

vel IV. 387. Bacchus perfurere dicitur

> Aut tumidum Gangen, aut claustra novissima *rubrae*
> *Thetyos*

in quibus Nereus, Doris et Thetys pro mare ipso positae sunt. His addamus ex eiusdem poetae Silv. I. 3, 45.

> Quique vaporiferis iunctus fornacibus Amnis
> Ridet *anhelantes* vicino flumine *Nymphas*.

tum Ovid. Heroid. XIV. 89.

> Adstitit in ripa *liquidi* nova vacca *parentis*
> Cornuaque in patriis non sua vidit aquis.

ad q. l. interpretes iam dudum verba e Metamorph. I. 703 s. attulerunt: *hic illi cursum impedientibus undis Ut se mutarent liquidas orasse sorores.* In utroque loco numina fluvii cum fluviis sunt commixta. His et similibus Statius multo audacius locutus est Theb. IX. 325., dicens de Crenaeo, qui ex Ismene Nympha nepos erat fluvii illius:

> Laetus *adulantem* nunc hoc nunc margine ab illo
> Transit *avum:* levat unda gradus, seu defluus ille
> Seu obliquus eat.

Longe continentior fuit Virgilius in simili loco Aeneid. IX. 815 — 817., quem Statius fortasse ante oculos habuit:

> Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis
> In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
> Accepit venientem et mollibus extulit undis.

Cfr. Markland. ad Stat. Silv. I. 3. 20. p. 186. ed. Dresd. (p. 369. ed. Hand.), et Bach. ad Tibull. I. 2, 3. Ex eodem genere sunt Horat. Carm. I. 7, 12.

Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus *Albuneae resonantis*

in quo poeta, quod fonti proprium est, transfert in Albuneam Deam, ut Carm. III. 10, 3.

positas ut glaciet nives
Puro numine Iupiter

Nam *purus* et ad coelum, quod frigidissimum esse solet, si a nubibus vacuum est, pertinet, et ad serenum Iovis vultum, voc. *numen* modo ad Deum referri potest. Ita Virgilius Eclog. VI. 1 — 3.

Prima Syracosio *dignata est* ludere versu
Nostra, nec *erubuit* silvas habitare, *Thalia.*
Quum canerem reges et proelia.

Thaliam primo loco et Musam et Deam intellexit, ut apparet e vv. *dignata est* et *erubuit*, tum vero se ipsum sub hoc nomine significat; addit enim: *quum canerem.* Add. Weber. Annotat. ad Iuvenal. p. 153.

Porro ad elementa magis quam ad Deum pertinere videtur v. *ardens* in loco Horat. Carm. I. 4, 8.

dum gravis Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

ad quem explicandum Doederlinus in Heptade Lect. Horatian. p. 1. adhibuit Homeri verba ex Iliad. XVIII. 410.

ἦ καὶ ἀπ' ἀκμοθέτοιο πέλωρ αἴητον ἀνέστη

et docte illustravit. Add. Stat. Theb. X. 100.

Mille intus simulacra Dei caelaverat *ardens*
Mulciber

et VI. 234.

Finis erat *lapsusque* patres iam *Mulciber* ibat
In flammas.

quibuscum confero Ovid. Fast. IV. 423.

Frigida coelestum matres *Arethusa* vocarat

quae ob fontis naturam hoc Epitheton accepit, ut Statius Lunam a nebulis obscuratam *Solis opacam sororem* appellavit Theb. VI. 486. Neque in aliis locis Horatius ab hoc genere dicendi alienus fuit, ut Carm. III. 29, 17.

Iam *clarus* occultum Andromedae *pater*
Ostendit ignem

in quo loco *clarus* et ad regiam Cephei dignitatem et ad stel-

lam, quae ex illo nominata erat, pertinet, nec vv. *occultus ignis* repugnat, ut infra P. I. cap. 2. §. 6. docebitur. Idem IV. 1. 1.

Intermissa, Venus, diu
Rursus bella moves?

Venerem dicit Deam, quae bella incipit, eamque pro nomine appellativo posuit, quia ipse ex longo tempore puellas non amaverat. Plura huius generis contulit I. Fr. Wagnerus in Horreo Philolog. Seebodii a. 1834. Part. III. p. 430. sq. Quae per usitatiorem metonymiam a poetis Latinis dicta sunt, ut *Ceres perdomita* (Stat. Theb. I. 524), *Ceres iactata per arva* (Lucil. Aetn. v. 11. ubi vid. Gorall.), *Venus friget sine Cerere et Baccho* (Terent. Eunuch. IV. 5, 6.), *vetus Bacchus* (Virg. Aen. I. 215.), *tenuis Minerva* (ibid. VIII. 409.), *Pallas baccifera* (Ovid. Amor. II. 16, 8.) et alia his similia (cfr. Bach. ad Ovid. Metam. VIII. 665.) non egent illustratione nostra. Audacioris translationis est locus Horatii Satir. II. 2, 124. *Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto*, tum loci Ovidiani Metam. XI. 125. *Miscuerat puris auctorem muneris undis* et XIII. 639. *Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho:* vid. Bach. ad VI. 488.

Caput secundum.

Descriptio operis.

Immutatione literarum graecarum post Homeri tempora facta, multa in iis iam ante Alexandrinos criticos erant novata. Itaque in poesin epicam novus sermo, pro Homerico atque simplici, doctus et artificiosus introductus est [16]. Cuius mutationis auctor Antimachus fuit Colophonius. Hic enim (quae sunt Naekii verba in libro suo de Choerilo, p. 67.) quum intellexisset, poesin epicam a populo in manus eruditorum propediem esse venturam, immo ex parte iam venisse spiritumque eius et vigorem evanuisse, remansisse tantum in usu poetarum formam Homericam atque involucrum, id est, simplicitatem in disponendo et eloquendo, quae ne aeterna repetitione fieret ieiuna, verendum erat, artificiosam et difficiliorem dispositionem, doctum et adhuc in epico sermone insolentem sermonem invexit, verbo, doctum epos scripsit et quod cani non posset. Quem quum hac in scribendi genere Alexandrini poetae secuti

[16]) Cfr. *Bernhardii* librum: *Grundriſs der griechischen Literatur*, T. I. p. 389 seq.

essent, sermo epicus primum, quod illi pro suo arbitrio in verborum significatione, compositione et constructione haud pauca novarunt, deinde quod ex aliis poesis generibus multa receperunt, maxime ab antiqua sermonis simplicitate, id est, Homerica, abhorrebat. Hactenus ille. Illam vero insolentiam in dicendo et luxuriam in tropis, figuris aliisque orationis partibus ortam fuisse ex ipsis illorum poetarum carminibus e criticorum veterum, Aristotelis inprimis et Longini, censuris intelligimus.

Ut igitur omnia ornamenta, quibus oratio poetica illustrari solet, tum commutata sunt, ita Epithetorum Perpetuorum et Ornantium post Homerum longe alia fuit ratio. Neque ab Alexandrinis, neque ab iis, qui Graecorum copias accipiebant, variabant, augebant, a Romanis consilium illud abiectum erat, quod in animis per Epitheta permovendis et rebus signandis et sub oculos subiiciendis continetur. Repugnabat vero priscae simplicitati nova sermonis conformatio, aemulandi aut novandi ambitio, denique consuetudo nova et recondita afferendi et in his artem, doctrinam et acumen ostentandi. Quae certatio quid in Graecis poetis inde ab Aeschyli et Pindari audacia usque ad Alexandrinorum artes procreaverit, nunc pro instituto nostro dicere omittamus, quum contra ad eam Latinorum poetarum aetatem descendamus oportet, quae primum Virgilium et Horatium tulit, tum Ovidium et Tibullum et Propertium, postea Lucanum, Valerium Flaccum, Silium Italicum, Statium, Claudianum. In his quamvis acuta Horatii venustas atque magnifica Virgilii simplicitas idoneo ornamentorum usu, recto delectu et prudenti verborum conformatione ceteris Romanorum carminibus longe praestantiores fuerint (quod de Epithetorum collocatione infra copiosius demonstrabitur), sunt tamen et apud Epicos posteriores non omnia vitiosa, affectata, tumida aut e longinquo arcessita, quae nonnullorum criticorum opinio de his poetis fuit [17]). Nam in his quoque multa sunt recte et praeclare dicta, tum in verbis et sententiis bene variata et conformata. Quod vero ad Epitheta attinet, ego apud Virgilium

[17]) Talia iusto acerbius elocutus est *Fr. Rothius*, egregius literarum antiquarum in Bavaria stator, in libro bonae frugis pleno (*Ueber die fortdauernde Abhängigkeit unserer Bildung von der classischen Literatur*, p. 11 not.): *Wie zur Warnung sind einige Manieristen, wie Silius und Statius, Valerius Maximus und Curtius, übrig geblieben, die man in Frankreich zu den Classikern zählt.*“ Cautius et rectius de eadem re disputavit *Bernhardy* in Historia Liter. Romanor. p. 4 et p. 125 seq.

poetasque illius imitatores et aemulos hoc mihi observasse videor, non unum et simplex illorum esse genus, sed duplicem in iis inveniri dicendi regulam et rationem. Harum una simplicitati et ruditati aetatis Homericae est consentanea, propriam naturam et indolem rerum atque personarum declarat et certam illam attributionem eamque semper recurrentem certo cuidam vocabulo addit, vel in iis locis, in quibus nos pro hodierna sentiendi ratione tale Epitheton vel superfluum vel otiosum dicimus. Cuius generis sunt praeter Deorum et Dearum Epitheta, quae cum nomine ipso ita coaluerunt, ut nunquam fere ab eo distraherentur [18]), vocabula *altus*, *magnus*, *ingens*, *purus*, *tenuis*, *longus*, *almus*, *trepidus*, *cavus*, *liquidus*, *gravis*, *levis*, *laetus*, *tristis*, *mollis*, *durus*, *sanctus*, *aërius*, *horridus*. Quae Epitheta Perpetua (ut vulgo appellantur) male a quibusdam ita poni putantur, ut nullam vim in sententia habeant. Sic Heynius ad Tibull. II. 6, 8. scribit: „debebat Broukhusius reputare saepe addi nominibus Epitheta, quae iis propria et perpetua, quamquam non adeo magnam vim in eo positu, quem occupant, habent.“ Sed idem Broukhusius ad I. 11, 46. p. 202. graviter questus est, quod pulcherrimae lectiones interdum pro vitiosis habitae sint, propterea quod a nullo de Epithetis satis accurate expositum sit. Itaque recte Dissenius fecit, qui in Prolegomenis de poesi Tibulli p. CLXX — CLXXII. pulchre et accurate hanc quaestionem tractavit, docens haec Epitheta perpetua in Tibulli carminibus nusquam esse otiosa aut sine vi, idque per totum Tibullum ostendit. Cfr. I. 1, 62. II. 1, 88. 6, 8. al. In quo id unum a viro praestantissimo adiectum nolo (p. CLXX.), quod epicus usus talia Epitheta otiosa ferre posset, unde male ad alia poesis genera translata esse nonnullis viderentur. Neque enim boni poetae epici talia sibi unquam permiserunt, quod ex sequentibus apparebit, neque, si ulli e pravo ornamentorum et flosculorum studio Epitheta male delecta in carminibus protulerint, hoc in universum in epicam poesin transferri potest. Cfr. Quinctilian. Instit. Orat. VIII. 6, 39 et 40. et Burmann. ad cap. 2, 10. [19]) Sed

[18]) Vid. Editorem Lipsiensem ad Ovid. Trist. I. 10, 1.

[19]) Interdum Epitheta otiosa, immo inepta, apud poetas Latinos legi, quis neget? Cuius generis sunt *unda fluctivaga* apud Stat. Theb. I. 271., *avius aëther* V. 14., *rapidus Olympus* apud Claudian. de bello Gildon. 18, *magna puerpera coeli* apud Stat. Achill. I. 254. *parvus Tonans* in eiusdem Theb. IV. 683. Cave tamen ne talibus accenseas locos Virgilianos Georg. II. 473. *sancti patres*, qui ob vitae integri-

e Dissenii disputatione, ne gravissimi testis auctoritas desit, hic nonnulla excerpere placet. Male (sic ille loquitur) *atro viscere* in I. 3, 76. de nigricanti colore iecoris ex natura accipitur, et *dura falce* I. 7, 34. ex rigore ferri explicatur, quae inutiles plane notiones in his locis, quum verus sensus apertus sit. In priore loco de tabo atro adesi iecoris cogitatur, in posteriore falx dura est, quae non parcet frondibus. Sed ponamus alia. Sic I, 7, 52. recte legitur *mollia serta* in laetarum rerum descriptione, ut *levis stipula* II. 5, 87. contra II. 1, 6. *florea serta* praestat, quum festus habitus designetur. At I. 6. fin. *stamina torta* et *firma licia* dicuntur ipsius accuratae descriptionis causa, quae ibi magnum sarcasmum habet, ut I. 4, 6. *curva falx*, quum Priapus ex habitu solemni designetur et designari debeat. Nec II. 5, 96. *levis umbra* mobilis esse potest, ut Heynio placuit, sed est Dissenii mente non nimis densa. Ut alia afferamus, in loco I. 3, 86. *deducat plena stamina longa colo* describitur industria mulieris, femineo opere sic ut fieri debet occupatae; est igitur plena colus et stamina longa dicuntur sedulo. Neque otiosum illud genus esse monuit ad I. 1, 62., ubi eadem notio repetitur, ut sunt *tristes lacrimae*, *moestae querelae:* nam intensiva vis notionum augetur. Denique aliis in locis id agitur Epithetis Perpetuis adiectis, ut oppositione membrorum apertiore clarior, significantior aut nervosior et alacrior fiat oratio, ut I. 1, 8. *tenerae vites* et *grandia poma*, II. 1, 67. *indomita equa*, II. 6, 31. *mutus cinis.* Suavis est locus I. 7, 12. *Carnuti et flavi caerula lympha Liger*, aut quum II. 1, 88. post *Noctis* nomen sidera *fulva* memorantur. At I. 4, 45. *Vel si caeruleas puppi volet ire per undas* postquam de terrestri itinere sermo fuit, quis non sentit necessario *caeruleas* positum in initio versus, ut statim prodeat oppositio? Nam quum v. *undas* in fine demum versus subsequatur, Epitheton perpetuum partes eius sustinet, quae res in multis locis notanda est. Postremum in accurata hominum locorumve descriptione praecipuam quaedam vim habent Epitheta, quae appellantur Perpetua, ut *tener Arabs* II. 2, 6., *vastum mare* ibid. 4, 7., *vaga aequora*, ibid. 6, 3. Atque

tatem sic recte appellantur, ut *iusti senes* apud Ovid. Heroid. I. 29. Fast. IV. 524. et Metam. VIII. 706., tum Aeneid. IX. 255. *integer aevi Ascanius*, v. 679. *liquentia flumina* et v. 817. *molles undae*, de quibus rectiora quam *Heynius* statuit *Wagnerus.* Ab eodem luxuriantis orationis crimine idem vir doctus liberavit locos Georg. II. 391. et Aen. II. 53., in quibus v. *cavus* ex hac interpretatione optime a poeta positum esse apparebit.

haec quidem Dissenius. Cfr. Burmann. ad Ovid. Metam. II. 66., Schwabe ad Phaedr. III. Epil. 30. et Obbar. ad Horat. Epp. I. 10, 48. p. 79 s., quibus illa addantur, quae infra de singulis Epithetis, ut de vv. *levis*, *purus*, *altus* (P. I. Cap. 1.), de vv. *aureus*, *tenuis*, *dives*, *ingens* (P. I. Cap. 2.), de v. *curvus* (P. I. Cap. 4.) atque de aliis uberius disputabuntur.

Quum igitur inter ea Epitheta, quae modo attulimus, plurima vocabula sint, quae in quavis fere pagina apud poetas recurrunt, ab initio de eorum indole et natura loquamur primumque caput partis primae id constituimus, in quo de vocabulis *altus*, *magnus*, *purus*, *levis* nonnullisque cognatis verbis agitur. Deinde, quum non pauca Epitheta et vulgaria vocabula aut ad augmentum aut ad deminutionem aut ad discretionem ponantur, neque raro suam originem aut a natura locorum aut ab animo narrantis aut e veneranda antiquitatis consuetudine trahant, unde interdum absolute capienda sunt, non relate ad eum locum, ubi habentur, caput secundum plura huius generis, ut *ingens*, *tenuis*, *dives*, *aureus*, *ingratus*, *vagus*, *gelidus*, *fervens* et alia, complectitur. In quibus quum interdum colorem, quibus antiqui poetae carmina sua excellentissimo modo illuminare callebant, mentio iniecta sit, rei ipsi convenienter duximus, caput tertium adiungere, in quo quaestionem de coloribus quam accurate fieri potest tractavimus atque vim vv. *purpureus*, *viridis*, *pallens*, *niger*, *ater*, *caeruleus* et quae cum his cohaerent in diversis poetarum epicorum locis uberius explicuimus. Iam quum trita eademque vera sit sententia, poesin simillimam esse picturae, ea Epitheta, quibus poetae magna cum sollertia utuntur ad res naturales describendas, ornandas et clarissima luce praeditas ad oculos lectorum admovendas, collegimus et de vocabulis *tremere*, *undare*, *natare*, *trepidare*, *nutare* et quae alia sunt eiusdem generis, in capite quarto egimus, iisque ultimo loco iuncta est disputatio de vocabulis *curvus*, *avidus*, et *pendens*, quibus suum honorem in nonnullis poetarum locis vindicare studuimus. Haec igitur est descriptio partis prioris, quae agit de Epithetis Perpetuis et Propriis.

Ab hoc genere alterum Epithetorum genus ita differt, ut studium quidem illud res cum virtute quadam et suavitate ad sensus admovendi, quod vel pessimi poetae nunquam plane neglexerunt, maxime emineat, sed simul leges comtae et artificiosae orationis nullo pacto violentur, immo quam diligentissime observentur. E qua ornandi consuetudine aut suae doctrinae ostentandae opportunitate magna nata est Epithetorum varietas, quae uno voculo *Translata* appellamus. Habent quidem haec Epitheta aliquam cum Rhetorica cognationem et maxime

cum figuris Metonymiae et Synecdoches. Nam illa Epitheta crebro a personis ad domicilium et sedem, ad locum, in quo versantur, ad instrumenta et tela quae gestant, ad membra et partes corporis, ad affectum animi, ad conditionem, in qua quis constitutus est, transferuntur. Omissa vero illa cognatione nos in hoc loco, ut in toto libro, solum in Epithetis Translatis ad leges grammaticas exigendas et explicandas substitimus. Itaque de his in altera parte disputationis nostrae agetur. Et primum quidem de iis dicetur, quae intra arctiores fines continentur, quorum primum genus est illorum Adiectivorum, quae pro genitivo vel alio casu, cui aptanda fuerunt, tribuuntur casui, quem dicunt, regenti, alterum, e quo Adiectiva vel Epitheta, quae casui regenti adiungenda fuerunt, Genitivo aptantur, tertium, quod duo inter se permutata Epitheta complectitur. In secundo capite ea recensentur Epitheta, quae ad unum Substantivum e lege grammatica pertinere videntur, re autem vera ad totam verborum complexionem sese applicant, ut non simplex, sed condensata quaedam notio exsistat, quae interdum ad brachylogiam accedit et cum metaphora, metonymia et synecdoche aliquam habet similitudinem. Quod genus Epithetorum quum latius pateat, idem argumentum in capite tertio persecuti quadruplicem instituimus partitionem. Disputavimus primum de Epithetis, quae ab hominibus ad loca, urbes, regiones et domicilia transferuntur, tum de Epithetis, quae conditionem hominis vel rei aut affectum animi humani ita exprimunt, ut ab hominibus et rebus ipsis ad aliud Substantivum transferatur, deinde de Epithetis, quae membris hominum certisque corporis humani partibus accommodantur, quanquam proprie homines ipsi intelligendi sunt, denique de Epithetis, quae ab hominibus ad eorum currus, arma, tela et alia instrumenta transferuntur. Haec excipit caput quartum de Epithetis ex eventu formatis, cui adiunximus recensum Epithetorum, quae per prolepsin sunt explicanda. De qua si paullo uberius locuti fuerimus, non a consilio nostro alieni fuisse videmur. Nam haud scio an ullus grammaticae locus quam haec brachylogia sit aptior ad perspiciendum veterum populorum ingenium. Quodsi verum est, ut saepe dicitur, priscorum populorum mentes celeriores fuisse in cogitando quam recentiorum gentium, id nulla fere re melius et luculentius declarari potest quam illa in loquendo scribendoque libertate, per quam leviter significasse satis habebant, quod alii disertius et copiosius elocuti sunt. Hactenus de altera operis parte.

Tertia pars versatur in Epithetis Geographicis, historicis et mythologicis, quae tamen cuncta colligere et explanare nolui

(neque talia in unum conferri potuissent) sed luculentis exemplis huc illuc collectis rationem monstrare mihi proposui, quam in talibus veteres Romanorum poetae secuti sunt. Itaque primum caput de Epithetis geographicis agit, in quo Adiectiva in montium, fluminum, locorum, terrarum descriptione posita ad iustam normam, quantum potui, revocata sunt et nimia nonnullorum in his diiudicandis licentia, ut Burmanni ad Ovid. II. 6, 46. et ad Valer. Flacc. V. 180., arctioribus limitibus est circumscripta. In quo tamen id semper ante oculos habui, me versari in libris poetarum, in quibus non omnia ad amussim sunt exigenda, neque bonum poetam ex iis legibus censendum esse, quae in prosaicis scriptoribus diiudicandis constitutae sunt. Tum ad illos locos transgressi sumus, in quibus Epitheta a terris, regionibus vel nominibus propriis derivata leguntur. In talibus videndum est, utrum poetae ipsi in carminibus suis loquantur, an aliis oratio tribuatur, quorum ob mores alienos, ingenium diversum et conditionem prorsus discrepantem praecipua ratio habenda erat. Hinc duplex talium Epithetorum genus natum est, de quo separatim exposuimus. In tertio capite ad Epitheta historica et mythologica pervenimus. Quorum vocabulorum duo inprimis sunt fontes, unus manat ex ipsa antiquitatis recordatione splendidaque rerum a maioribus bene et fortiter gestarum commemoratione, alter lectoribus a poetis aperitur ex accurata urbium, fluminum, terrarum, locorum cognitione et scita antiquitatis cum praesenti statu coniunctione. His igitur per idonea exempla illustratis, addimus censuram talium Epithetorum, in quibus est magna similitudo cum prolepsi historica, quam consulto in superiore capite omisimus, a qua deinde ad ea Epitheta transimus, in quorum usu poetae Romani, (Ovidium in his maxime respeximus) multa novantes sibi non satis a luxurie et abusu ingenii temperaverunt, id quod in fine operis nonnullis Statii et Claudiani locis abunde docuisse nobis visi sumus.

Pars prima.
De Epithetis Propriis et Perpetuis.

Caput primum.
De vocabulis *altus*, *magnus*, *levis*, *horridus* et *purus*.

I.
De vocabulo *altus*.

§. 1.

Vocabulum *altus* duplicem habet significationem, quarum una e locorum, quae poeta describit, situ et natura, altera ex indole et ratione interiore rei descriptae est petita. Quod ad priorem attinet, Servius ad Virgil. Aeneid. I. 3. haec scripsit: sciendum est, quod *altum* et superiorem et inferiorem altitudinem significat: namque mensurae nomen est *altitudo*. Quae si cum iis, quae Doederlinius in libro de synonymis Latinis T. II. p. 99. disputavit [1]), coniuncta perpenderimus, suam explicationem invenient loci, in quibus *altus* idem est quod *profundus*, ut de vulneribus (Virg. Aen. X. 850. 859. XI. 804. XII. 357., Lucan. I. 32., Sil. Italic. VI. 580. ibiq. Drakenb., IX. 153., Stat. Theb. III. 327., Ovid. Metam. VI. 266. ubi recte Burmann. et Bachius) et de sanguine effuso, cuius tanta est co-

[1]) Quaedem ex iis apponamus, quibus *Doederlinius* locum Servianum illustravit: „*Flumen altum ist zunächst nicht profundum, sondern affluens, wasserreich und tief nur in so fern als mittelbar die Grenzlinie dieser Wasserfülle vorzugsweise in's Auge gefafst wird, während bei profundus diese Grenzlinie, der Grund und Boden, unmittelbar der Phantasie vorschwebt. So ist mare altum zugleich sowohl aequor, πέλαγος, die hohe See, als pontus, πόντος, die tiefe See, d. h. derjenige Theil des Meeres, wo es das eigentliche Meer ist mit seinen wesentlichen Merkmalen der Unergründlichkeit und Unermefslichkeit.*“

pia, ut tigres per eundem incedentes a Lucano (Pharsal. I. 329) eo pastae esse dicantur, tum de vallibns (ut Virg. Georg. II. 186. ibiq. Wagner.) et cavernis (Stat. Theb. VII. 816. Clandian. in Eutrop. II. 24), de herba (Virg. Georg. IV. 459), de fruticetis, ut apud Horatium Carm. XX. III. 12, 10. aper in *alto* fruticeto latitare dicitur, quod est densum et profundum, quibus verbis interpretes locum Homericum Il. XI. 115. ὁ δὲ (κάπριος) εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο contulerunt, denique de aedificiis, ut Aen. I. 427 — 430.

> Hic portus alii effodiunt, hic *alta* theatri
> Fundamenta locant alii, immanisque columnas
> Rupibus excidunt, scenis decora *alta* futuris.

In his versibus utraque significatio v. *altus* ita est copulata, ut prius vocabulum de iis dicatur, qui superne in profunditatem excavatam despicinnt, alterum vero de iis, qui e profunditate ad superiora suspiciunt. Idem, ut iam Doederlinius l. c. et T. IV. p. 72. vidit, in vv. *altum mare* observamus. Nam nobis apud Valer. Flacc. V. 319. legentibus: *ergo ubi lux altum sparget mare* vel apud Virgilium Aen. I. 160. *quibus omnis ab alto* [2]) *Frangitur* (unda) vel apnd eundem Aen. II. 203. *Serpentes*, qui Laocoontem petebant, *tranquilla per alta* venisse, cogitanda est magna maris planities, quam vel in ripa vel in loco superiore stantes oculis nostris perlustrare valemus. Similiter Virgilius Georg. I. 142. de piscatore: *atque alius funda latum iam verberat amnem Alta petens.* Scilicet tanta illi erat audacia, ut relicto litore, qui solitus erat piscandi locus, medium amnem huius rei causa ingrederetur: vid. Aen. VII. 362. VIII. 691. Eadem v. *altus* significatione locum Valerii Flacci VIII. 362 (378): *incipit* (Hirus) — *moestas altis intendere voces Puppibus* tueri posse nobis videmur. Heinsius, probante Weicherto, coniecit *aliis* p. *altis.* Sed *altae puppes* sunt *naves in altum provectae*, quae ideo ab aliis remotiores erant. Quare Statius apto modo locutus est in Silv. I. 2, 149.

> hic flexus onyx et concolor *alto*
> Vena mari

intelligens eius similitudinem cum mari, cuius aqua in alto viridem habet colorem, quem Lucretius II. 1120. vocat *thalassi-*

---

[2]) Ellipsin in h. v. illustravit Cortius ad Cic. Epp. ad div. III. 13, 2. V. 3. Simili ratione v. *mare* in formula *in altum provehi* a prosae scriptoribus et poetis, etiam in translata oratione, omittitur: vid. Cic. Quaest. Tuscul. IV. 8. de Orat. III. 36, 145. Horat. Epp. I. 18, 86. et ad h. l. *Doederlin.* in Decad. Lect. Horat. p. 14.

num, ut Handius docuit ad Statii locum p. 273., iure Marclandum reprehendens, qui pro *alto mari* non male legi posse *atro mari* coniecerat. Cfr. Wagnerus ad Virgil. Aeneid. X. 264. Contra idem mare appellatur *altum*, ratione profunditatis habita, quam in loco Horatiano Carm. III. 1, 33.

Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis *in altum* molibus

unusquisque facile intelliget, tum in verbis Virgilii Aeneid. VIII. 66.

Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit *alto*
Ima petens

vel apud Silium Italic. IV. 292.

Atque *altum* tota metitur cuspide pectus

eandem agnoscet significationem, quae in loco Maroniano vv. *ima petens* declaratur, quoniam hasta profunditatem pectoris tota cuspide penetrasse dicitur: vid. Aen. IV. 699. Adde Statii Silv. I. 3, 64. s.

Quid referam alternas gemino super aggere mensas
Albentesque lacus *altos*que in gurgite fontes

quos versus Handius p. 438. praeclare a temeraria Marclandi emendatione (*alios* p. *altos*) vindicavit, demonstrans *altos fontes* dici quibus aqua stagnorum e profundo profluebat, quique etiam in summa aqua observabantur. Alia exempla e Statio idem addidit. Simili ratione Valerius Flaccus V. 96. appellavit Chaos *altum*, id est in nocte profunda abditum, sicut in significatione plane contraria *alta* Luna dicitur apud Virgilium Aen. IX. 203. et *altissimus* Sol apud Ovidium Metam. I. 592., quod Burmanno nullam suspicionem movere debebat: vid. XI. 353. Idem *Sol* in eodem carmine (I. 630) sub *tellure alta* tempore vespertino esse dicitur, in quo loco *altus* non telluris Epitheton perpetuum est, sed eam modo indicat conditionem, in qua illo tempore versatur: cfr. V. 435. Porro *altae valles* apud Tibull. I. 4, 49. sunt montium cavae convalles, in quibus retia tendi solebant. Vid. Huschkius et Dissenius ad h. l. Itaque non dubito de veritate eorum, quae Silligius ad Cirin V. 217. scripsit (Annot. Critic. p. 237.)

et *alti*
Suspicit ad Lunae nutantia sidera mundi

quum non appareat qua de causa Scylla *altum* (ut est in editione Heyniana) *suspicere* dicatur, quae notio iam in v. *suspicere* latet. Longe alia est ratio loci Virgiliani in Aeneid. XI. 496. de equo:

Emicat adrectisque fremit cervicibus *alte*
Luxurians

in quo Servius recte iudicat *adrectis alte* esse iungenda, ut totius loci vis poetica augeatur, quam gravior v. *alte* pronuntiatio, Wagnero docente, valde adiuvat.

§. 2.

Ad priorem significationem hic v. *altus* usus referendus est, quem poetae in rebus, per se parum editis et celsis, signandis sequuntur, quod tamen e planitie sive maris sive campi eminent. Id non modo ad iustam et diligentem alicuius regionis descriptionem, sed etiam ad pulchram et vividam locorum exornationem poetis valde necessarium visum est. Ita apud Virgilium Aen. I. 180. et X. 50. *alta* Cythera, V. 588., *alta* Creta, IX. 716., *alta* Prochyta (quae proprie humilis fuit: vid. Heynii Excurs. IV. ad librum nonum et Wagner. ad Aen. III. 76.), X. 126. *alta* Lycia, Ovid. Her. I. 87. *alta* Zacynthus, Metam. XV. 305. al. Quo studio eiusmodi exornatio et subiectio sub oculos lectorum a poetis veteribus conquirebatur docet locus Virgilianus in Aeneid. VI. 23., in quo ne in anaglyphi quidem descriptione Cretam insulam, quam poeta alio Epitheto splendidius efferre potuisset, *mari elatam* dicere omisit. Cfr. I. H. Vossius ad Georg. T. I. p. 55. Itaque, ni fallor, omnis tollitur dubitatio de loco Aeneid. V. 220.

Et primum scopulo luctantem deserit *alto*
Sergestum brevibusque vadis frustraque vocantem
Auxilia.

Nam scopulus dicitur *altus*, quia navigantibus e mare conspectus ob prominentiam suam tantae magnitudinis esse videbatur, minime vero quia summae erat altitudinis. *Brevia vada* sunt loca circa scopulum, aqua carentia, et multam ostendentia arenam, ut patet e locis I. 111. et X. 289., quos Bonstettenius in Itinere Italico p. 151., accurata regionis scientia instructus, optime illustravit. Inverso ordine est apud Ovidium Metam. IX. 226. *Nam quoque in Euboico scopulus brevis emicat alto Gurgite*, in quibus v. *brevis* spatium exiguum (vid. Bachium ad h. l.) designat. Nam ita ad ambitum et interiorem alicuius rei descriptionem non raro v. *brevis* apud poetas refertur: vid. Ovid. Metam. VI. 86. *certamina - brevibus distincta sigillis*, Claudian. de bell. Gildon. 106. *brevior* (i. e. minoris ambitus) *duxi securius aevum.* De IV. Consulat. Honor. 572. *brevis* (Isidis) *effigies.* Manil. Astronom. III. 277. *Ne magna in brevibus pereant compendia dictis.* Cfr. Aratzen. ad Coel. Sedul. p. 138. [3]). Neque Virgilio vitio damus, quod saepius in Aeneide

(VI. 179. IX. 388. X. 723.) stabula dixit *alta*, quae, licet arboribus et silvis inclusa, non in rupibus exstructa fuisse ex istis locis satis apparet. Sed recte Bachius ad similem locum Metamorph. VI. 521. monuit horridam alicuius loci faciem hinc

---

*) Testis eiusdem significationis est locus Valerii Flacci II. 387., quem suo iure difficilioribus locis interpretes adnumeraverunt:

Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Terra iuvat, *brevis* in laevos piger angitur orbes:
Frena tamen dominumque velit, si Martius aures
Clamor et obliti rursus fragor impleat aeris.

Ita *Burmannus* h. l. edidit, apud quem vide *Carrionis*, *Heinsii*, aliorumque interpretum sententias: add. *Heynium* Observat. ad Tibull. p. 208. ed. tert. et *Weichert*. Epist. Crit. p. 54, quorum ille, commate post *brevis* posito, locum sanatum putat, hic vero Valerium negligentiorem fuisse iudicat. Iam ut meum de vulgata scriptura sententiam dicam, vv. *frigida pax* summum otium, qua terra fruitur, indicatur, quod *Burmanni* exempla luculenter declarant, neque opus erat *Gronovii* correctione in diatrib. Statian. c. XLVI., *crura ligant* pro *terra iuvat*. Gaudet equus, e bello dimissus, latis discursibus et liber spatiatur in pascuis apertis. Tum duo Epitheta *brevis* atque *piger* offenderunt interpretes, neque lex a *Weicherto* l. c. constituta, alterum Epitheton in talibus ad claram perfectamque Substantivi notionem necessario requiri, alterum vero ornatus causa addi, hic valet, neque ad normam locorum, quos *Wagnerus* ad Virg. Aen. V. 24. (cf. infra P. II. Cap. 1. §. 1. not) diligenter collegit et subtiliter digessit, Valerii locus satis commode exigi potest. Quae fortasse ad eum tuendum afferri possunt, haec fere sunt. In tali Epithetorum coniunctione saepe et interna et externa respicitur conditio: vid. *Bach*. ad Ovid. Metam. V. 513. Itaque *brevis equus* non ad membra parva et exigua referendum esset, sed ad palum in quo est alligatus et iuxta quem in angustos ire gyros cogitur artibusque adsuescere, quas Virgilius Georg. III. 191 seq. descripsit. Ob hanc malam conditionem *piger* est equus i. e. tardus, neque tam celer ut antea (ut *pigri mucrones* in Stat. Achill. I. 435., *pigrae sorores* apud eundem Silv. II. 3, 20.) et invitus modo sese gyris includere patitur. Qui gyri utrum *laevi orbes* ratione exercitii equestris habita, quod *Burmannus*, *I. A. Wagnerus* aliique volunt, dicantur, an ab infelici equi bellatoris conditione, qui inter arma talium rerum usum dedidicit, *laevi* i. e. adversi, sinistri (vid. *Heinsium* ad Valer. Flacc. IV. 570. al.) hoc Epitheton traxerunt, aliis diiudicanda relinquo. Sed id longe gravius est, quod in scriptura vulgata desideratur oppositionis significatio. Etenim qua pace equus gaudet, eam tamen invitus fert, quod per eandem in nimis angustum gyrum compellitur, eoque libentius ad

terribiliorem fieri et accommodata haec esse ad sensus movendos et percellendos. Addimus, poetas in crebriori horum verborum iunctura aliquid ex antiquitate traxisse, in qua omnia stabula ut regia aedificia et templa editiora campis planis et apertis fuerunt. Quod primum securitatis tum maioris sanctitatis causa ita institutum fuisse, nulla eget demonstratione.

§. 3.

Atque hac observatione viam ad alterum v. *altus* significationem, quae indolem et interiorem naturam alicuius rei uberius exornat, nobis munire posse putamus. Accedit enim talis, adiecto v. *altus*, ornatus, maxime ad antiquissimorum Poetarum exemplum, qui in Diis suis praedicandis, in virtutibus hominum laudandis, in regionibus, montibus, silvis, domibus describendis nihil splendidum vel augustum sine altitudinis ratione apud animum suum cogitare poterant. Cuius rei explicatio in promtu est. Nam quum vel nostri poetae libentius terram montibus et virgultis obsitam quam campum planum et devexum describant, quumque res notabiliores atque insigniores studiose et consulto in loca editiora transferre ament, quid veteres poetas, qui fere in natura habitabant aut certe praesentissimam naturae imitationem maximum poesis firmamentum putabant, in talibus

---

negotia bellica redit. Itaque acute emendavit *Handius* ad *Gronovii* diatr. T. I. p. 469.

longa quem frigida pace
Terra iuvat, *brevius laevo* piger angitur orbe

e qua facillima correctione illa oppositio satis aperte elucet. Cui *Handius* hos locos addidit: Senec. Hippol. 123. *Ille nocturnas agitare bigas Discit et gyro breviore flecti.* Thyest. 841. *Curvo brevius limite currens.* Tib. IV. 1, 92. *Curvo brevius compellere gyro.* His adiungimus locum Caesaris de bell. Gall. IV. 33. *Efficiunt* (Britanni), *ut in declivi atque praecipiti loco incitatos equos sustinere et brevi moderari ac flectere — consuerint.* Significat Caesar artem Britannorum, qua equos vel in celerrimo cursu, simulac voluerunt, retinere valebant, unde hoc in exiguo spatio semper factum esse per se apparet. Est quod nos dicimus: *anhalten*, *pariren* et res ipsa hodie appellatur: *arrêt*, *Parade.* A Xenophonte in libro de re equestri 8, 7. idem in vv. ἀναβάλλεσθαι ἐν μικρῷ intelligitur, ad q. l. vid. *Schneider* et *Herrmann.* in Comment. Soc. Philol. Lips. Vol. IV. P. I. p. 59. Discessit tamen ab *Handio Weichertus* in *Beckii* Actis Seminar. Reg. Vol. II. P. 2. p. 349 seq., quem v. *laevo* male habet propterea quod nullius sit sensus. Desiderat quidem aliquem sepimenti, quo equus in pascuis inclusus tenetur, commemorationem.

Epithetis copias suas quam largissime effudisse dubitabimus? Itaque v. *altus* de Deorum hominumque vi, splendore atque excellentia poni solet, ut *altus* Apollo Aen. VI. 9. X. 875., *altus* Iupiter XI. 626., *altus* rex aetherius XII. 140., *alta* Iuno Ovid. Metam. III. 284. et XII. 505., *alti* Dii apud Ovid. Fast. III. 334., *altus* Aeneas apud Horat. Satir. II. 5, 62., *altus* Orodes Aen. X. 737., *altus* Caesar apud Ovid. Epp. ex Pont. II. 3, 63. tum apud Horat. Carm. III. 4, 38., in quo loco non probo, ut fecit Bentleius, Lambini correctionem *fassus* neque Fea duce coniungo vv. *altum militia.* Caesar enim dicitur *altus* utpote bella despiciens. Deinde de terris, aedibus et urbibus claris et flore suo superbientibus v. *altus* legitur: vid. Aen. IV. 97. *alta* Carthago, Georg. I. 485., *altae* urbes, Aen. XI. 790. *alta* patria, Ovid. Metam. II. 1., *alta* Solis regia (ubi vid. Bachius), ibid. VIII. 525., *alta* Calydon, ut *altum* Troiae culmen Aen. II. 290. Itaque hic dicendi mos Andromachen quoque Virgilianam decuit, quae in Aen. III. 322. Polyxenam felicem praedicet quod

> Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus *altis*
> Iussa mori.

Haesit quidem optimus Virgilii interpres, Ph. Wagnerus, in annotat. ad h. l. et ad Georg. I. 92. in voce *altus*, sed Maronem Homericae consuetudinis exemplo satis tuitum esse censeo. Nam ad solitam urbis Troiae appellationem (Ἴλιος αἰπεινή Il. XV. 557. XIII. 772. al.) usus ille rem aliquam per Epitheta augendi et amplificandi accedit, licet eadem, re propius considerata, ornatus omnino est expers et splendorem suum vel vim suam iamdudum abiecit. Vid. quae de hoc usu in Introductionis capite primo sunt disputata. Sic in nostro quoque loco, quum Polyxena post captam eversamque Troiam ad tumulum Achillis mactata esset, de altitudine moenium Troianorum Virgilius modo improprie loqui potuit. Sed gravissima est urbis eversae commemoratio, ut qua Polyxenae, virginis regiae, imago longe miserabilior fit, quae in solo patrio, moenibus vixdum deletis, mactata erat. Simili ratione, sed in sermone minus commotiore et magis ad Homericam consuetudinem accommodato, Virgilius Aen. VI. 599. de vulture locutus est, qui apud inferos Tityi iecur lacerat,

> rimatur epulis habitatque sub *alto*
> Pectore.

Neque sine vi voc. *altus* in immensi corporis descriptione ut in iisdem verbis Statianis Theb. XI. 17. collocatum est, neque Virgilius maiore excusatione eget, quam Homerus, qui in Odyss. X. 200. Polyphemum appellavit μεγαλήτορα atque ἀνδρο-

φάγον. Paullo inusitatius Statius Theb. VI. 942. *altos Notos* sagittae Adrasti occurrisse dixit, quo minus ad dictam metam perveniret. Vetus Scholiastes *Notos altos* interpretatus est *ventos vehementissimos*, *turbines*. Sed ad urbes revertamur et addamus locum Horatii Carm. III. 5, 39. *O magna Carthago probrosis Altior Italiae ruinis*, ubi cum illa, quam supra tetigimus, significatione huius vocabuli altera significatio optime congruit. Cfr. I. G. Lehmannus in libello scholastico Luccaviae a. 1828. edito p. 4, seq. et Wagner. ad Eleg. in Messal. p. 27. Porro domus vocatur *alta* solemni nomine, ut Aen. X. 526. XII. 546. Horat. Epod. 9, 3. ad similitudinem locutionum Homericarum: ὑψερεφὲς μέγα δῶμα (Il. V. 213. Odyss. X. 111. al.), vel ὑψόροφος θάλαμος (Odyss. II. 337. Cfr. Sil. Italic. XVII. 72. *thalami alti* et Böttiger. Script. Minor. T. I. p. 281.) unde apud Statium Silv. I. 2, 45. cum Handio legendum est: *pandit nitidos domus alta penates*, nec quod Marclandus coniecit: *pandit nitidos Venus alma penates*. Eadem vv. *altus* et *almus* confusio est in Oda, quae sub nomine Rufini fertur, in cuius v. 10. (vid. Wernsdorf. Poet. Lat. Minor. Vol. III. p. 394.) *non quod Isis alta est* legitur. Heinsius coniecit *Isis alma* admodum probabiliter et loco, quem Axtius in Programmat. Cliviensi a. 1829. p. 16. addidit, Herodoti II. 156. adiutus, sed consuetudine talis poetae, qualis Rufinus fuit, magis consentaneum videtur usum dicendi optimorum poetarum, qui Iovem, Saturnum, Apollinem ceterosque Deos altos dixerunt, sequi quam doctrinam affectare et Isidi cognomen e moribus Aegyptiorum, non Romanorum, repetere.

§. 4.

Postremum v. *altus* ad alias res minoris ambitus et gravitatis transferri solet, ut rebus describendis gratior species, immo vividior color inde affundatur. Cuius generis sunt *altus* torus Aen. II. 2. 1., *altum* stratum XI. 649., *altus* lectus X. 462., *altus* favillae agger apud Lucan. Pharsal. V. 524. (licet paullo incongrue positum est Epitheton), *alti* currus Ovid. Metam. II. 104., *alta* praesepia ibid. 120., *alta* theatri fundamenta Aen. I. 428., quem locum iam supra laudavimus et in quo repetitio eiusdem vocabuli (v. 429.) praeter duplicem h. v. significationem suam habet excusationem, ut Weichertus vidit in dissertat. de versib. Virgil. iniur. suspect. p. 47. Add. Sil. Italic. I. 26. *alta* vetustas, Ovid. Epp. ex Pont. III. 2, 103. *alta* nobilitas i. e. genus alte, e vetustissimis temporibus repetitum, *altum* votum i. q. magnum apud Sil. Italic. XVII. 540., *alta* nomina apud Auctorem Panegyrici ad Calpurn. Pison. V. 227. (ad q. l. vid. Weichert. in libro de L. Varii et Cassii Par-

mensis vita et carminibus p. 65. not.), *altum* limen in aedibus Evandri apud Virgil. Aen. VIII. 461. Huc referamus *altum* dolorem in Aen. I. 209., quem Wunderlichius gravem, ingentem dolorem explicuit, qui penitus insedit, et locum Taciteum ex Annal. XVI. 29., in quo *altus* pavor similiter dicitur, advocavit, tum *altum* soporem Ovid. Met. VII. 367., *altum* rumorem Stat. Theb. VII. 457., *altum* gemitum Aen. XI. 95., divitias *in altum* exstructas Horat. Carm. ~~III. 12~~, 19. (coll. Pindar. II, 3, 19. Olymp. II. 38. *ὄλβος ὑψηλός*) et quae simili ratione oculos superbos *alta* circumtulisse dicitur Niobe ab Ovidio Metam. VI. 169. Cfr. Claudian. in Rufin. I. 53. *concordia, Virtus — alta cervice vagantur.* Huc pertinet locus in Valerii Flacci VII. 88. de Iasone:

> Tum tamen infando quae det responsa tyranno
> Colligit et tandem obtutu consurgit ab *alto.*

Fuit quidem Iason dira et iniusta Aeetae oratione maxime perculsus, defigit igitur vultum moestum et pertinacem diu in regem, quasi non solum in eius mentem penetrare et intimos recessus explorare vellet, sed etiam eundem ad aliam eamque meliorem sententiam perducere tentaret. Quod quum ipsi non contigisset, tum, verbis secum collectis, post longum silentium vultum mutat et dicere incipit. Cfr. IV. 324. *oraque longo Comminus obtutu mirans tenet.* Plenius dictum esset: *consurgit ab alto obtutu in verba*, ut *in arma consurgere* e pace et otio est apud Virgil. Aen. IX. 749. X. 90. cfr. Tacit. Histor. III. 1. Sicut in loco Valeriano vv. *ab alto obtutu* locus, unde aliquid exit vel proficiscitur, indicatus est, ita contra ponuntur vv. *ex alto* apud Ovidium Amor. II. 4, 16.

> Aspera si visa est rigidasque imitata Sabinas,
> Velle, sed *ex alto* dissimulare, puto.

Ad quae vocabula Burmannus recte intellexit: pectore, ut locus declaretur, ex quo exit illa dissimulatio, qua missa aut relicta puellam eo manifestius rei Venereae studium monstraturam esse poeta putat. Ovidius pro *ex alto* dicere potuisset *alte* ad simplicem notionum relationem exprimendam, sed addita praepositione simul originis et fontis imaginem revocavit et disiunctas notiones apte coniunxit. Idem de loco Virgilii statuendum est (Aen. VIII. 395.) sensu tamen diverso: *quid causas petis ex alto* et de locutione tritissima *aliquid alte repetere.* De locis Ovidianis, quos Burmanno debeo, Art. Amator. I. 633. *Iupiter ex alto periuria ridet amantum* et Heroid. VI. 151. *Quod si quid ab alto* (ut Lucan. II. 207 et Stat. Theb. VI. 676. ubi unus liber *ab astris*) *Iustus adest votis Iupiter ipse meis*, vid. Handium Tursellin. T. I. p. 12 s. ubi discrimen utriusque

locutionis subtiliter expositum est. Add. Hoffmann. in Iahnii Annal. Philolog. a. 1828. II. 1. p. 27 sq. Porro *alta* illa dissimulatio apud Ovidium seu pectus *altum* in Ciceronis Orat. p. Milon. 8, 21. *alta mens* dicitur, ut recte Matthiaeus vidit. Tribuitur enim *altitudo* ingenii iis, quorum consilia assequi non valemus, qui valde tegunt suos sensus, ut in iis locis, quos Casaubonus ad Sueton. Vitell. c. 13., Drakenborch. ad Livium IV. 6., Ernesti in Indic. Cicer. Graec. v. βαθύτης et Kritz. ad Sallust. Iug. 95, 3. laudaverunt.

II.

De vocabulo *magnus*.

Transeamus ad v. *magnus*. In hoc Epitheto duplex distinguenda est significatio, prima simplicior et ex antiquissimae poeseos indole repetenda, altera, quae cum insigni vi ad certas res relata sensus ita movet, ut paullo diutius in ea commoremur et ad illius explicationem e praegressis vel ex seqnentibus quaedam petamus. Priori generi adnumeranda sunt haec: *magnus orbis* Virgil. Georg. II. 338. et Aen. I. 269., *magnum Latium* VII. 54., *magna Sila* Georg. III. 219., *magna Hesperia* Aen. I. 569. et VII. 4., *magna membra* II. 251., *magnus annus* III. 284., *magna Italia* IV. 345. *magnae Mycenae* vid. Heroid. VII. 165. et alia huius generis, quae ut Heynius ad Georg. II. 338. annotavit, perpetua fere fuerunt poetis graecis et latinis. Itaque idem in Aeneid. IX. 218. iure Trappio oblocutus est pro *magni nec moenia curat Acestae* scribenti *magnae Acestae* et ad urbem Segestam referenti. Cfr. Valer. Flacc. V. 301. *magni veniant dum regis ad urbem* ibique Burmann. In talibus numerorum quoque ratio habenda est. Nam etsi apud Virgilium vitiosa putanda sint (docente Wagnero in Quaest. Virgil. XXXIII. 8, extr. p. 549), pariter cadentia Substantiva et Epitheta iuxta posita, dummodo eorum ultimae syllabae sub ictum veniunt, ea, si singularis ex hac re captatur gravitas, non solum a communi usu excusationem habent, sed etiam ab antiquo dicendi genere commendantur.

In altero genere primum de v. *magnus*, quod nominibus Deorum adiunctum nnminis divini vim atque potentiam declarat, agendum est. Ita Iupiter in Georg. II. 327. *magnus, magno commixtus corpore*, terram alere dicitur, sic *magni Dii* in Aeneid. III. 12. et VIII. 678., *magna Iovis coniux* VII. 308. de Iunone (unde mala Statii in Achill. I. 254. imitatio, qui de Thetide: *magna puerpera coeli*), *magna Martis manus* apud Sil. Ital. VII. 371. et IX. 488., *magnae Nerei undae* apud Valer. Flacc. I. 658., *magnus torus* Iovis atque Iunonis in Statii

Theb. I. 257., *magna Glauci manus* apud Ovid. Metam. XIV. 8., ad q. l. Burmannus bene observavit, hoc Epitheto summam in agendo facilitatem, quae Deorum erat, indicari. Numinis vero divini et potentiae divinae vis atque auctoritas multo maiores ex his locis elucent. Aen. V. 707. *vel quae portenderet ira Magna Deum*, id est, illa ira divina, e qua magna et tristia hominibus proveniunt, fere ut VII. 432. *Coelestum vis magna iubet.* Cfr. Valer. Flacc. II. 365. *Magnis cum fratribus Eurus intonat Aegeo*, IV. 521. *Quas* (Harpyias) *fulmina quanquam Aegidaque ille gerens magnas sibi legit* (Iupiter) *in iras.* V. 687. *Heu*, *magnis quantum licet in pia fatis* et plures Tibulli locos, ut I. 2, 81. *Num Veneris magnae violavi numina verbo*, tum III. 6, 22. *Qui timet irati numina magna, bibat* plane ut Horat. Epod. 17, 3. *Dianae non movenda numina.*

§. 2.

Praeter res divinas alia quoque vocabula clariorem vim et efficaciam addito v. *magnus* accipiunt. Incipiamus a loco nobilissimo Aeneid. I. 148.

> At veluti *magno* in populo quum saepe coorta est
> Seditio saevitque animis ignobile vulgus,

in quo quum Huschkius ad Tibull. I. 1, 2. p. 5. *magnus* interpretatus sit *frequens*, *magno numero constans*, Wagnerus, ne quis hoc Epitheton dicat otiosum, poetam potius ad seditionem longe lateque diffusam eo consilio respexisse dixit, ut illa virtus unius viri, pietate ac meritis gravissimi, magis exsplendesceret. Ita Alcides a Propertio III. 17, 29. *magnus* appellatur vel ob dignitatem vel ob aetatem (cfr. Baldamus p. 242.), et apud Tragicos Graecos non raro *μέγας* idem est quod *δεινός, σεμνός*, ut apud Aeschyl. Choeph. 478. *μέγας δαίμων καὶ βαρύμηνις*. Agamemn. 1492. *μέγας πότμος*. Add. Lobeck. ad Soph. Aiac. 225. Eadem de causa minime otiosum vel ingratum est hoc Epitheton in Aeneid. III. 210.

> Strophades Graio stant nomine dictae
> Insulae Ionio in *magno*.

Nam et maris Ionii vastitas et magnitudo, et insularum in illo dispersarum solitudo hoc uno vocabulo proxime ad legentium sensus adducitur. Quo vocabulo poetae Latini admodum delectati esse videntur, ut gravior fieret et augustior imago navigationis atque illustriores labores illorum, qui per mare iter fecerunt. Ita Aen. V. 627. *dum per mare magnum Italiam sequimur fugientem*, tum *magni incola Ponti* apud Valer. Flacc. IV. 513., *magnum mare* in Lucan. V. 619. Valer. Flacc. I.

50., Stat. Theb. II. 105. 315. Achill. I. 44. Ovid. Herold. XIX. 143. et aliis in locis, quos collegerunt Gifanius in indic. Lucret. s. v. *magnus* et *mare* et Burmann. ad Valer. Flacc. I. 50. Multo melius haec, quam modo dedimus, explicatio e collatis duobus Lucani et Lucretii locis patet, quorum prior est V. 655.

parva quem puppe sedentem
Tam *magno* petiêre mari?

ubi oppositio non operosius eruenda est, sed clarissimis verbis nobis proponitur. Tum in egregiis Lucretii versibus II. 1.

Suave mari *magno* turbantibus aequora ventis
E terra *magnum* alterius spectare laborem

beatissima illius hominis sors exornatur, qui vastissimi maris imaginem ante oculos habens hac sorte eo magis gaudet, quo maiores sunt labores navigantium. Similiter haec praegnans v. *magnus* significatio ex aliis locis elucet, ut Aeneid. III. 196. *magnaque surgunt Aequora*, cui, quod iam fecit Hutchinsonius, conferri potest Xenoph. Anabas. V. 8, 20. ὅταν δὲ χειμὼν ᾖ καὶ θάλαττα μεγάλη ἐπιφέρηται. Add. Sallust. Iugurth. 78, 3. *Nam ubi mare magnum esse et saevire ventis coepit* et ad h. l. annotationem Kritzii.

Illa vero latitudinis notio loco Georgic. II. 260. vindicanda est:

terram multo ante memento
Excoquere et *magnos* scrobibus concidere montes

Heynius enim, qui alia huius generis recte et eleganter perspicere solebat, hic haesit negans *magnos* montes bene commemorari posse, quum de collibus agatur. Iam Iahnius recte haec verba interpretatus est, rectius Wagnerus: „quum late pateat mons, totum scrobibus concidendum praecipit poeta, nec labori parcendum.“ Cfr. Hand. Tursellin. T. II. p. 474. Tum hoc vocabulo non solum exterior ambitus delineatur, sed a poetis non minus crebro interior rerum conditio et multarum quasi comprehensio more praegnantiori exprimitur. Ita est *argenti magnum talentum* Aeneid. V. 248. quod multas minas intra se continet, ut apud Tacitum Histor. I. 66. *Sed fama constans fuit*, *ipsum Valentem magna pecunia* (i. e. magna vi pecuniae) *emptum*, tum *magni menses* in Virgil. Eclog. IV. 12, i. e. illustres, insignes, memorabiles, utpote saeculi aurei, non longi et nostris mensibus maiores, ut Vossius voluit: cfr. Lucan. III. 70. *Ubere vix glebae superat*, *cessantibus Austris*, *Quum medium nubes Borea cogente sub axem*, *Effusis magnum Libye tulit imbribus annum*, in quibus messis per effusos imbres magna et fructuosa intelligitur. Add. Stat. Theb. IV. 710.

et Burmann. ad Claudian. in Rufin. I. 352. Eiusdem generis sunt *magna moenia* Aeneid. II. 295. et III. 159, ratione urbis Romanae inde oriundae habita, *magnum bellum* VII. 80. *magna mens* Aeneid. VI. 11. et Valer. Flacc. I. 272., *magna laus* ibid. v. 105., *magna verba* ibid. V. 600., *magna ausa* V. 662., *magna fata*, Sil. Ital. II. 425., *magni honores* Claudian. de laud. Stilich. II. 109., *magna cervix* in Rufin. II. 294., *magna mors* Stat. Theb. IX. 491. Neque aliter ob amplitudinem suam internam atque propriam ludi Circenses appellantur *magni* in Aeneid. VIII. 636., et eiusdem praestantiae causa ludi Olympici dicuntur *magni* in Horatii Epistolis I. 1, 50. *Quis circum pagos et circum compita pugnax, Magna coronari contemnat Olympia?* In cuius loci explicatione, qualem nuper Th. Schmidius docte et subtiliter dedit, in hoc uno dissentio, quod v. *magnus* non solum exornationem ludorum Olympicorum significari puto, sed ea de causa ludos ita appellari, quod in pluribus Graeciae locis certamina sacra sub Olympiorum nomine (vid. Rathgeber. in Erschii atque Gruberi Encyclopaed. Sect. III. P. 3. p. 324 sq.) celebrabantur et vv. *Olympia magna* differentia eorum ab illis, quae minus celebria erant, ab Horatio indicatur. Cfr. Lucian. Herodot. 1. *ἐνίσταται Ὀλύμπια τὰ μεγάλα.* Harmonid. 4. *Πᾶν γὰρ ἤδη στάδιον ἧττον φοβερὸν τῷ Ὀλύμπια τὰ μεγάλα νενικηκότι* et ad h. l. Palmerium T. IV. p. 515. et Lehmann. cui add. verba Meieri in Encycl. l. c. p. 297. Hic enim docet coll. Siebenkees. Anecdot. Graec. p. 95. ab Eleeis quotannis ludos celebratos esse, qui minores (*ἐλάττω*) ludi Olympici appellati fuerint. Eadem ductus ratione Ovidius urbes terrarum primarias, metropoles, *magnas urbes* dixit, ut Metam. XIV. 457. urbemque Romam hoc cognomento donavit in Trist. I. 1, 59. Cfr. Burmann. ad Metam. XI. 137. e quibus locis eximas VI. 147. quem paullo inconsideratius Burmannus huic generi adscripsit.

Postremum his locis Horatii verba addimus: *Olim qui magnis legionibus imperitarent* e Satir. I. 6, 4., in quibus Iahnio adstipulamur, *magnas legiones* de iis explicantes, quae possidenti haud mediocrem parerent auctoritatem. Cfr. Lucret. III. 1040. s. *Inde alii multi reges rerumque potentes Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt* [3]). Simili modo apud Theocrit. XXIV. 106. (quem locum Huschkius excitavit) *Εὔρυτος* dicitur *ἐκ πατέρων μεγάλαις ἀφνειὸς ἀρούραις*, ubi verbis *μεγάλ. ἀρούρ.* causa et origo divitiarum Euryti indicatur. In loco

---

[3]) De alia loci Horatiani interpretatione vid. *Gerlach.* ad Sallust. Catilin. 53, 3.

Tibulliano I. 1, 2. *Et teneat culti iugera multa soli* Huschkius et Dissenius hanc scripturam alteri *magna* praetulerunt, quum iugera certam haberent mensuram, neque alia magna, alia parva essent. Sed potior videtur scriptura *iug. magna*, quod nuper recte vidisse putamus Fr. Haasium in censura Tibulli Disseniani (in Ephemerid. Liter. Berol. a. 1837. Part. 8.). Scilicet per multitudinem singularum rerum magnitudo totius efficitur, quae notionum commutatio exemplis allatis, *magna millia, magnae legiones* apte confirmatur. Ita Ovid. Metam. VI. 147. *et magnum sermonibus occupat orbem* i. e. multas illarum terrarum partes, non totum orbem. Stat. Theb. VIII. 575. *Leo — magni — etiamnum sanguinis insons*, et de eodem V. 596. *Magno furor est in sanguine mergi, Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.* Valer. Flacc. V. 274. *Iamque aderat magnis regum cum millibus urbi*, in quo loco, si permutationi numerorum aliquam excusationem petas, poetae consilium id fortasse fuit, ut reges et multos et potentes ad urbem accessisse una doceret. Virgilius vero a talibus abhorret: cfr. Aeneid. III. 346. Add. Ouwens. Noct. Hagan. p. 498. Sed si in illo loco poetae venia facilius dabitur, idem tamen luxuriae atque supervacanei verborum ornatus merito in loco VI. 714 sq. arguitur. Verba sunt haec de olea feliciter crescente:

Iamque videt teneram primo de vertice frondem,
Quum subito immissis praeceps aquilonia nimbis
Venit hiems *magna*que evulsam tendit arena.

Aperta est imitatio loci Homerici Iliad. XVII. 53 — 58. cuius ultima verba sunt: *βόθρου τ' ἐξέστρεψε καὶ ἐξετάνυσσ' ἐπὶ γαίῃ.* Quid igitur v. *magna?* Iam inest in participio *evulsam* idonea notio ad verbum ἐξετάνυσσε exprimendum, neque ulla sufficiens indicari potest ratio, cur minima terrae pars, in qua haec olea accrevit, *magna* appelletur. Multo maiorem cautionem in simili descriptione Aeneid. IX. 346. Virgilius adhibuit: (Rhoetus) *magnum metuens se post cratera tegebat.* Non enim ille post craterem stabat, quod Heynio omnem fidem excedere videbatur, immo vel iacebat vel subsidebat, quod e v. 348. apparet: sed praesentis mortis metu trepidabat: quod qui faciunt (ut Wagnerus scite observavit) sperant, quamvis male tecti, tutos se fore, et, si ipsi hostem non videant, ab illo non visum iri. Itaque poeta cum summo Rhoeti metu suam cogitationem aptissime coniunxit et per hoc Epitheton declaravit.

III.
De vocabulo *levis*.
§. 1.

Observavimus in superioribus, quanta cum arte veteres

poetae roboris, magnitudinis et proceritatis notiones per Epitheta *altus* et *magnus* declarare studuerint. Iam consentaneum esse videtur ad ea progredi Epitheta, quibus decor naturalis, elegantia et venustas corporis, mobilitas membrorum describitur. In iis praecipue est v. *levis*. Nam veteres, quamvis corporis robur et fortitudinem praecipuum esse virorum magnorum et ducum ornamentum ubique iudicaverint, eos tamen minime pingues esse et obesos voluerunt, sed leves, agiles atque in omni corporis exercitatione ita versatos, ut vel maxima et gravissima sine ulla operositate vel nimia contentione perficere valerent. Ita Homerus Il. XIX. 386 sq. Achillem descripsit, instructum armis recens fabricatis, quorum pondus quemque alium maxime fatigasset, ipsum vero minime prohibet, quo minus agilitatem membrorum ostendat. Addit enim: *τῷ δ' αὖτε πτερὰ γίγνετ', ἄειρε δὲ ποιμένα λαῶν.* Similiter Virgilius de Neptuno in Aen. V. 819., qui cum curru et equis aequora transit: *Caeruleo per summa levis volat aequora curru.* Omnino igitur tenendum est, v. *levis* ubique significationem ponderis, quo quis premitur vel levatur, adiunctam habere neque ad internum animi sensum referendum esse, ut v. *lenis*, quod sine ulla gravitatis et ponderis notione a scriptoribus usurpatur, ut Aug. Weichertus in Commentat. I. de Medea oestro percita p. 4. not. recte statuit. Quod discrimen usu v. *levare* apud poetas confirmatur. Nam ponderis notio, quo aliquid retinetur, deprimitur aut tegitur, est in his locis: Aeneid. I. 145. *Neptunus levat ipse naves*, VII. 572. Allecto in voraginem se condens *terram coelumque levabat*, apud Sil. Ital. II. 123. Asbyte moriens *labentia membra levat.* Eadem notio in locutionibus *aestus levare* (Stat. Silv. III. 1. 63.), *viam levare* sermone (Aen. VIII. 309. cfr. Bentlei. ad Horat. Carm. II. 13, 38.) et similibus inest: relinquitur enim aliquid molesti, quo abiecto liberiores sumus. Add. Bach. ad Ovid. Metam. XV. 404. Hinc ea, quae in altum struimus aut collocamus, *levare* dicimus, ut Lucan. Pharsal. IV. 18. *Nec Caesar colle minore Castra levat.* 418. *Neque enim de more carinas Extendunt puppesque levant.* Stat. Theb. X. 378. *Amicum pondus uterque Subiecta cervice levant.* 607. *Vittasque trementes Caesaries insana levat.* Add. Gronov. Diatrib. in Stat. cap. 40. p. 407. ed. Hand. Contra quae sua sponte altiora fiunt, *scandere*, *tollere*, *surgere* vel *levari* dicuntur: vid. Oudendorp. ad Lucan. II. 222., add. Virgil. Aen. IV. 690. Stat. Achill. II. 17. Liv. XXI. 58.

Sed ad v. *levis* redeundum est. Patet haec, quam modo tetigimus, significatio primum e loco Tibulliano I. 4, 51. *Si*

voles arma, *levi tentabis ludere dextra* i. e. quae non gravi ictu ferit; tum ex Ovid. Heroid. XI. 68. *Infantem — levibus vittis sedula celat anus* i. e. infulis laneis, quae infantem non premebant, sed modo circumpositae erant; denique e Statii Achill. I. 323. s. *Mulcetur* (*Achilles*) *laetumque rubet visusque superbos obliquat vestesque manu leviore repellit.* Scilicet, Deidamia conspecta, manus filii in repellendo non tam graves esse quam antea Thetis intellexerat. Add. Senec. Hippolyt. v. 61. *Nunc veloces Figis damas leviore manu* i. e. Dianae venationes non cum tantis difficultatibus coniunctae sunt quam venationes hominum. Valer. Flacc. IV. 704. *Perque levem et multo maculatam sanguine tigrin Cuspis abit:* levem poeta vocat pellem, quae vacua erat carne atque ossibus ideoque minime gravis, quam Statius minore cum affectatione dixit *inanem*, ut Theb. I. 483. *leo inanis* et VI. 722. *tigris inanis* [4]). Porro quae non multum ponderis habent, sunt eam ab causam grata et dulcia, unde hanc alteram v. *levis* significationem in plurimis locis inesse observamus, velut apud Valer. Flaccum VI. 664. sq.

Ac velut ante comas et summa cacumina silvae
Lenibus alludit flabris *levis* Auster: at illum
Protinus immanem miserae sensere carinae.

in quo loco Auster primum ut tenuis et suaviter flans describitur, postea vero cum maxima vi in naves incubuisse dicitur, quae sub eius pondere gemunt. In eundem ordinem retulerim *leves somnos* apud Valer. Flacc. III. 33., Stat. Theb. I. 585., Horat. Carm. II. 16, 15., *leve lumen* apud Valer. Flacc. III. 257., quo primum tempus matutinum eleganter describitur, ut pluribus Weichertus in Epist. Crit. in Valer. Flacc. p. 51. docuit, deinde *levem umbram* apud Tibullum II. 5, 96. cuius verba haec sunt:

Tunc operata Deo pubes discumbat in herba,
Arboris antiquae qua *levis* umbra cadit.

Levis autem umbra dicitur, Dissenio iudice (p. 297.), quae non nimis propinqua urgeat, utpote altis ramis (*luftiger Schatten*), quum contra humiliores arbores molestam umbram habeant. Sic accommodatum est Epitheton consilio loci. Hey-

---

[5]) His in locis substantiva pro rebus ex illis confectis posita neminem, ut puto, offendent. Nam talia apud omnes poetas leguntur, ut Passerat. ad Propert. IV. 3, 52., *Marcland.* ad Stat. Silv. II. 2., 6. p. 225 ed. Dresd., et *Obbarius* in Ephemerid. Scholast. Darmstad. a. 1832. Part. 2. scid. 150. docuerunt.

nius vero: „levis umbra, inquit, perpetuo Epitheto dicitur, puto quia foliis e fronde arborum leviter ab aura motis ipsa umbra micat et contremiscit.“ Sed Dissenius monuit, talem significationem hic inutilem esse et otiosam. Etenim perpetua illa Epitheta per totum Tibullum sic ponuntur, ut quoque loco vim habeant, neque quod vulgo dicitur perpetuum Epitheton, ubique eandem significationem habet. Idem comparat vv. *nemoris levis umbra* ex Ovidii Metam. V. 336. Simili ratione id vocabulum Statius in Theb. VIII. 327. posuit, in quo loco Thiodamantem induxit precantem, ut Tellus *campum* sistat *levem* Pelasgis, quem intelligo de loco ad pugnam idoneo nullisque difficultatibus impedito.

§. 2.

Sed multo frequentius v. *levis* ad ornatum, quo res sive homines instruuntur, refertur. In qua tamen re cavendum est, ne primaria negligatur significatio et v. *levis* cum uno aut altero vocabulo cognato plane commutetur eiusque significationem assumere putetur. Quod primum de iis locis dictum esse volo, in quibus nonnulli arbitrati sunt v. *levis* vel *lenis* (quod plane alius est significationis) idem esse quod *benignus* et *propitius*. Cfr. Hand. ad Gronov. Diatrib. p. 101. Ita apud Horatium Carm. I. 18. 9. Bacchus Sithoniis *non levis* appellatur, quippe qui graviter urgeat furore et ebrietate; apud Virgil. (838) Aen. V. 861. Somnus *aetheriis delapsus ab astris* cognomen *levis* ob facilem descensum ad homines, quo nemini fit gravis aut molestus, accepit, ut Venus apud Valer. Flacc. VI. 259.: *quum levis a superis ad te* (Medeam) *modo laberer auris.* In eodem carmine (II. 323.) haec leguntur:

Levior Lemno Deus aequore flexit
Huc Minyas. Venus ipsa volens dat tempora iungi,
Dum vires utero maternaque sufficit aetas.

Levior Deus (quem statim post Venerem nominat [5]) est

---

[5]) Simili ratione veteres poetae saepenumero locuti sunt, si deum aliquem res, quas narrant, gubernasse vel iis suo consilio interfuisse narrant, nomen tamen omittentes, quasi non certus quidam deus hominum fata rexisset, sed divina potentia in universum (τὸ θεῖον) vim suam in res humanas ostendisset. Praeivit Homerus hunc dicendi morem Graecis scriptoribus in Odyss. VIII. 499. ὡς φάθ'· ὁ δ' ὁρμηθεὶς θεοῦ ἤρχετο, φαῖνε δ' ἀοιδήν, cui loco composuit *Nitzschius* Annot. T. II. p. 227. alterum locum XXII. 347. θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας Παντοίας ἐνέφυσεν. Vid. Herodot. I. 45. Et solet Socrates apud Platonem ad incertum deum omnia referre, quorum causa in

non modo Deus propitius, sed talis Deus, qui feminis Lemniensibus tempore priori fuerat *gravis*, hoc est exitiosus, molestus, timendus (vid. Ovid. Amor. I. 9, 19. Horat. Carm. I. 2, 22. et de Graecorum voc. βαρύς Hermann. ad Sophocl. Antig. 763. et Wüstemann. ad Theocrit. XVII. 19.), hoc vero tempore iram remiserat, ita ut Polyxo, Phoebo dilecta vates, populares suas illo pondere levatas Deamque ipsis iterum levem redditam esse palam profiteri posset. Itaque nimis audacter Heinsius pro *levior* correxit *melior*, quem Weichertus refutavit in Beckii Actt. Seminar. Philol. Lips. Vol. II. P. 2. p. 349. et in commentat. de Medea supra laudata p. 4. Idem comparavit Lucan. Pharsal. VIII. 395. *Sed tua sors levior* (i. e. quae facilius tolerari potest), *quoniam mors ultima poena est*, *Nec metuenda viris.* Similiter Valerius Flaccus (VII. 156.) Medeam, Iunonis artibus, ut Iasonis amore corripiatur, exagitatam, nondum vero devictam, his verbis descripsit: *quando ardor habet leviorque pudori Mensque obnixa malo.* Scilicet Medeae animus non est levis atque inconstans, quae Burmanni

obscuro latet quorumque ratio nullam habet explicationem, veluti de republ. III. p. 411. E. Deorum aliquis hominibus musicam et gymnasticam artem dedisse dicitur. Cfr. *Stallbaum* ad Plat. Phileb. p. 30 et Xenoph. Anab. VII. 8, 23. E Latinis vid. Aen. VII, 498. *Nec dextrae erranti Deus afuit*, ad q. l. cf. Wagner. Quaestt. Virgil. XXIX. 5., IV. 440. *placidas — viri deus* (Iupiter vel Mercurius) *obstruit aures.* VI. 348. *Nec me deus aequore mersit* i. e. omnino numen, deus aliquis; vid. V. 341. sq. Cfr. *Heyn.* et *Wagner.* ad Aen. II. 632. His add. Valer. Flacc. II. 356. *Et deus ipse* (Venus) *moras spatiumque indulget amori.* Ovid. Metam. XIV. 750. *Sonus plangoris ad aures Venit Anaxaretes, quam iam deus ultor* (i. e. Venus) *agebat.* Confr. Bach. ad X. 586. Lucan. Phars. II. 79. *Viderat immensam tenebroso in carcere lucem Terribilesque deos*, pro quo voc. *Weisius* in sua editione scripsit *deas.* Sed non solum Furiae, immo omnes dei inferorum intelliguntur, ad quos omnes scelerum perpetrationem referunt poetae. Pluralis enim masculinorum numerus feminina saepissime complectitur, ut Aen. II. 457. 579. VIII. 216. cfr. *Burmann.* ad Valer. Flacc. VI. 274. *Bentl.* ad Horat. Sat. I. 1, 100. et *Schmid.* ad Hor. Epp. I. 2, 44. Deinde a potiori, ut aiunt, fit denominatio. Nam sub Diis reliqua turba Erebi, monstra atque portenta, intelliguntur. Ad ea, quae de indefinito v. *Deus* usu attulimus, accedat Stat. Theb. IV. 425. *Nec caret umbra Deo. Nemori Latonia cultrix Additur.* Cf. Cic. p. Rosc. Amer. 24, 66. et *Beier.* ad Cicer. fragment. p. 159. Inverso ordine voc. *Superi* unus *Deus* significatur. Vid. *Wagner.* ad Aen. I. 4. et in specim. Nov. Edit. Virgil. p. 21.

erat interpretatio, sed eo etiam proclivior ad pudorem, quam Iuno exspectaverat, quoniam ardorem priorem paullo exstinctum seque illo pondere levatam esse sentiat. Ea de causa mens amori (*malo*) fortiter obnitebatur. Hac ratione prioris temporis habita comparativus *levior* suam habet explicationem, quem Burmannns pro *levis* accepit. Nam longe aliud genus comparativorum est, quod pro positivis interdum poni Handius ad Stat. Silv. I. 1, 107. p. 145. docuit. Prioribus locis add. Ovid. Trist. IV. 1, 51. *Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum* h. e. tolerabilior, benignior, nam nulla ratione levatus sum mole et pondere malorum. Ita explicandus Propertius I. 18, 11. *Sic mihi te referas levis* de puella facili neque superba (cfr. II. 1, 52. et Claudian. Laus Serenae V. 148.), ut ne minima mutationis suspicio appareat, qua motus Ieverus ad Lucan. T. I. p. 164. coniecit: *Sic mihi te servet Deus* [6]). Ad eandem normam interpretamur verba Tibulli I. 6, 58. *Et tibi nescio quas dixit, mea Lesbia, poenas: Si tamen admittas, sit precor illa levis*; quae proprie significant: cuius poenae vis non tanta est, ut eam graviter sentiamus. Sic *gravis* et *levis* sibi opponuntur a Plauto in Trinumm. III. 2, 58. (quem locum Huschkio ad Tibull. I. c. debeo): *nunquam erit alienis gravis, qui suis se concinnat levem.* Quod de loco Tibulli diximus, similiter in locum Ciceronis de republ. II. 40, 67. cadit, in quo haec leguntur: *Quocunque vult* (elephanti dux), *levi admonitu, non actu, inflectit illam feram.* Sic Orellius h. l. recte exhibuit, cui Beierus in Iahnii Annalib. Philolog. a. 1827. I. 3. p. 16. assentitur: nimis tamen arguta est Moseri atque Doederlinii suspicio *leni* p. *levi* scribentium. Est enim, quod hodie quoque animadvertimus, tam parva ducis admonitione opus, ut fera se ab illo regi vix sentiat ideoque ab *actu*, quem aliae bestiae graviter ferre solent, maxime diversa [7]).

[6]) Cui observationi minime repugnat locus Horatianus Carm. I. 25, 11. *Invicem moechos anus arrogantes Flebis in solo levis angiportu.* Nam *anus levis* est anus spreta, contemta, quam ob pulchritudinis pristinae iacturam ne adspectu quidem dignam habent amatores, qui olim illius iram timebant seque ab illa repudiatos rem gravem et fere intolerandam putabant. Non est igitur opus, ut, quod *Peerlkampius* fecit, *anum levem* interpretemur: anus quae vivere cupit ut iuvenis puella, aut statuamus, v. *levis* saepissime a poetis de omnibus rebus poni, quas adolescentia fert, sed aetatem provectiorem dedecent.

[7]) Ea vocis *admonere* significatio, in qua de iis ponitur, quae cum aculeo teloque in memoriam redeunt, (vid. *Gronov.* Diatrib. in Stat. cap. 49. p. 499. sq. ed. *Hand.*) a loco Ciceroniano aliena est.

Nam v. *agere* apud poetas Latinos frequentissimum est de rebus, quae cum vi et contentione impelluntur: vid. Virg. Aen. XII. 78. *Non Teucros agat in Rutulos.* Sil. Italic. II. 363. *Proinde polo crescant Alpes astrisque coruscos Appenninus agat scopulos.* Stat. Theb. VII. 277. *Hos regis egenos Amphion, en, noster agit.* Add. Horat. Carm. IV. 4, 12. *Nunc in reluctantes dracones Egit amor dapis atque pugnae.* Postremo animadvertendum est, Ciceronem hic loqui de re vulgari et in Africa, de qua agitur, fere quotidiana. Si vero elephantus *turpiter funes scandere* (ut est apud Manil. Astron. V. 706.) cogitur, tum a ductore in dorso eius insidente *stimulis movetur*, (*κατακεντεῖται*: vid. mea ad Lucian. Toxar. p. 124. sq.), ut se ad opus, cui impatiens est, faciendum accingat. Est autem *movebit* i. q. faciet, ut elephantus se moveat (*in Bewegung setzen*): vid. Wagner. ad. Virg. Aen. IV. 490. Recte igitur G. E. Weberus in Corp. Poet. Lat. (p. 644.) in loco Maniliano scripturam *stimulisque movebit* ob magnam elephanti molem alteri scripturae *monebit* praetulit.

§. 3.

Iam si ad illos locos progrediamur, in quibus significatio gracilitatis et agilitatis praecipue manifesta est, notionem ponderis, quo quis se levatum sentit vel quo levatus coram aliis apparet, ne ab his quidem locis abesse invenimus. Exempla sint haec: Virg. Aen. VI. 16. Daedalus *insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.* IX. 548. Helenor — *Ense levis parmaque inglorius alba.* Lucan. I. 423. *Gaudetque amoto Santonus hoste Et Biturix longisque leves Suessones in armis.* Valer. Flacc. III. 167. *Levis ante pedes subsederat Ichnon.* VI. 697. *Nunc levis infesto procurrit* (Myraces) *in arma.* Stat. Theb. V. 403. s. *At levis et miserae nondum mihi notus Iason Transtra per et remos impressaque terga virorum Nunc magnum Oenidem — Voce manuque rogat.* In his locis Daedalus, Helenor, Santonus, Myraces, Iason laudem suam ab agilitate membrorum sibi vindicant, quae aut in volatu feliciter peracto aut in corporibus, nullo armorum pondere ita gravatis, ut ipsi homines tardi fiant et hebetes, cernitur aut in illa Iasonis celeritate, quo modo huc modo illuc socios hortatur et impellit. Contra propter vastam corporis magnitudinem vel propter alia adiuncta, in quibus est ponderis et virium notio, homines appellantur *graves*, ut docet Wagner ad Aen. XII. 458. Porro Valer. Flacc. III. 126. Phlegyas Argonautorum *manus* dicit *leves*, non quasi viles et non multum timendae essent, sed quod celeriter et de improviso incursionem facere solitae. Ita

levis hora ab Ovidio in Metamorph. XV. 181. ad celeritatem transfertur. His igitur locis in eiusdem Valerii Flacci libro primo tuemur v. 389.: *quem* (Nelidem) *parva Methone Et levis Elis equis — Caestibus adversos viderunt frangere vultus.* Scilicet Elis posita est pro Elidos incolis, in arte currum flectendi et equos agitandi peritissimis, quam laudem Valerius per prolepsin (de qua vid. infra P. III. cap. 1. §. 3.) a ludis Olympiacis sumpsit. Simili ratione Castoris equus appellatur *levis* VI. 240. Cfr. Burmann. ad loc. pr. et Barth. ad Stat. Theb. V. 430. Neque tam ingratus veterum auribus fuit trium in *is* desinentium syllabarum concursus, ut Santenium probem in annotat. ad Propert. p. 928. scribentem: *dives et Elis equis.* Vulgatam scripturam multa poetarum exempla firmant: vid. Burmann. ad Lotich. Carm. p. 493., Huschk. ad Tibull. I. 4, 6., Obbarium in Seebodii Biblioth. Crit. a. 1823. Part. 2. p. 123., Loersium ad Ovid. Heroid. X. 40. et G. H. Bodium in Ephemer. Lit. Götting. a. 1823. scid. 20.

Postremum eadem Adiectivi *levis* significatio in rebus minores ponderis et ambitus cernitur. Ex hoc genere est locus Tibull. I. 7, 48. *Et Tyriae vestes et dulcis tibia cantu Et levis occultis conscia cista sacris.* Nam poeta cistam intellexit vitilem seu vimineam, quae commoda et facilis erat ad portandum, quum in laetissimi Dei sacris ne cistam quidem gravem et ponderosam esse deceat. Tum alter locus eiusdem poetae in II. 6, 8.

Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
Ipse *levem* galea qui sibi portat aquam.

Quibus verbis Dissenius p. 304. haec adscripsit: Epitheton *levis* non eandem ubique vim habet cum aqua iunctum. Ovid. Art. Am. I. 761. *atque leves Proteus modo se tenuabat in undas* de Proteo in fluidum se mutante, vides quam beue conveniat v. *tenuabat.* Hoc autem loco *levis* aqua dicitur sic tenuis, ut vinum leve pro tenui dicitur. Est enim de potu sermo et intelligitur vilis potus, ut Statius sensit, quamquam is ipsum *levis* pro *vilis* accipiens atque ita sine causa a propiore significatione recedens. Tu nunc vides quid res sit. Quum tenuitas sit e natura aquae, Epitheton *levis* inde ductum revera ex eorum genere est, quae perpetua dicimus, sed aliter tamen Ovidius, aliter Tibullus usurpavit, hic potum tenuem et vilem significans, ille undas tenues ac mobiles." Add. Sil. Italic. V. 557. *levibus diffisus Arauricus armis* i. e. quae nullum pondus habent ideoque sunt inutilia, ut X. 242. *hastae leviores*, quibus leo vulnerari non potest, Valer. Flacc. VI. 671 — 673. *sua virgo* (Medea) *Deae* (i. e. Iunoni) *gestamina reddit: Non gemmis,*

non illa levi turbata metallo, *Sed facibus*, *sed mole Dei.* In his *leve metallum* de auro, quo cingula Veneris erant ornata, non contemptus causa dicitur, quod a totius loci indole maxime abhorreret, sed modo ad oppositionem, quae est in vv. *faces* et *moles Dei*, indicandam. Scilicet virgo, quam splendor auri et gemmarum maxime movere debebat, hunc pro rebus vilibus et exiguis habet prae illa Cupidinis vi et potentia, quam ipsa iam in praecordiis conceptam sentiebat. Contra sunt *leves figurae* apud Propertium I. 4, 9. figurae minimi vel nullius pretii, translatione a rebus, quae pondere aestimantur, ducta: cfr. Ovid. Metam. X. 14. *leves populi simulacraque functa sepulchris* de Manibus, ut *levis turba* apud Horat. Carm. I. 10, 18. Add. Gell. Noct. Attic. I. 1, 15. VII. 11. atque Broukhus. et Huschk. ad Tibull. I. 6, 58. Nec plane abest illa significatio ab altero eiusdem Propertii loco in Eleg. I. 9, 31. 32.

Illis (i. e. blanditiis) et silices possunt et cedere quercus,
Nedum tu possis, spiritus iste *levis*.

In priore versiculo poeta ad vim carminum Orphicorum aperte alludit dicens blanditiis vel continua puellae amatae praesentia summam exerceri vim in animos amantium, immo vel res naturae inanimatas vitaque carentes illis moveri. Quo maior est metus, ne *levis* Pontici *spiritus* iisdem blanditiis occupetur et in aliam viam traducatur, quem hominem Propertius minime varium et inconstantem describit, sed ex universa generis humani natura animorumque conditione (ἐκ τοῦ ἀεικινήτου) illi periculo maxime obnoxium esse confirmat.

§. 4.

Primaria vero illa significatio v. *levis*, per quam alicuius rei vel facilitas vel gracilitas exprimitur, non prorsus abest ab illis locis, in quibus idem vocabulum, syllaba tamen prima producta, legitur. In quibus nonnulli praeferunt scripturam *laevis*, quae vero posthabenda est alteri scripturae *levis*, propterea quod graecum vocabulum λεῖος refert, ut pluribus docuerunt Gronovius ad Liv. XXVIII. 20., Drakenb. ad Sil. Ital. II. 111., Wagner. ad Virg. Aen. V. 91. et Bach. ad Ovid. Metam. XV. 398. Tenendum enim est, omnia dici *levia*, quae speciem habent non horridam neque tactu sunt aspera. Ita Virgil. Eclog. VII. 23. *leve marmor*, Aen. VII. 789. *levis* Turni *clipeus*, VIII. 624. Aeneae *leves ocreae electro auroque recoctae* i. e. nitida tiblalia, Servio interprete, Horat. Carm. I. 2, 38. *galeae leves*, de art. poet. 332. *levis cupressus*. His opponuntur res *horridae*, de quo vocabulo vid. in §. IV. Tum de corpore humano atque de membris ponitur, ut Virgil. Aen. VII. 348.

serpens inter *levia* Amatae pectora nullo tactu, ipsa Amata fere inscia, se volvisse et XI. 40. Aeneas in *levi* Pallantis *pectore* vulnus aspidis Ausoniae vidisse narratur, in quo loco Servius voc. *levis* per nondum setosum explicat, Heynius vero ad lotum et a cruore purgatum corpus Pallantis retulit. Sed in universum significatur pectus molle et tenerum, quale est in corpore iuvenili (cfr. Wagner. ad Aen. VII. 815), quod poeta ad miserationem immaturae mortis augendam egregie cum v. *niveus*, quo prima declaratur iuventus (vid Cir. 399. Valer. Flacc. I. 219., Sil. Italic. XII. 243., add. Marcland. ad Stat. Silv. I. 2, 20. p. 170. Dresd. et Wagner. ad Eleg. ad Messal. p. 23.) coniunxit. Eadem v. *levis* vis manifesta est in loco Aen. VII. 815., in quo Camillae humeri appellantur *leves* et in imitatione Statii: *triplici velaverat ostro Surgentes etiamnum humeros et levia mater Pectora* (Theb. VIII. 565. 5. [8]), tum in Sil. Italic. II. 111., qui mollem atque imberbem Bagan nominat *levem*, ut apud Tibull. I. 8, 31. *levia fulgent Ora* (iuvenis) *nec amplexus aspera barba terit*, ubi vid. Huschkius. Adde Horat. Carm. II. 11, 5. *Fugit retro Levis Iuventas et Decor.* et Ovid. Fast. IV. 912. *Et tremat in summo leve cacumen humo*, quod cacumen *leve* opponitur scabro, ut apud Claudian. Bell. Gildon. v. 215. *Levis et excussa micuit rubigine conus.* Vid. Heins. ad Ovid. loc. Eandem corporis et membrorum mollitiem Graeci in Hectore mortuo laudant apud Homer. Iliad. XXII. 373. *Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι Ἕκτωρ ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ*, qui in alio loco Iliad. XIV. 406. Aiaci *χρόα τέρενα* adscripsit, quod Epitheton Heynius in numero vocabulorum ornantium et sine vi positorum habuit. Sed similium locorum comparatio virum doctum, qui in aliis locis idoneus talium rerum fuit existimator, a tali iudicio retinere debebat.

Habet vero, quod in fine non omittendum esse censeo, haec voc. *levis* significatio haud exiguam cognationem cum v. *lenis*, quod de rebus mollibus minimeque horridis saepissime positum esse constat. Unde non raro inter utrumque vocabulum nata est in libris manu scriptis confusio et virorum doctorum in talibus locis fluctuatio: vid. inprimis Santenium ad Terent.

---

[8]) Haec Atyos descriptio fortasse ad imaginem Bacchi *μελλεφήβου* facta est, quem *Arnobius* VI. 12. p. 117. Elmenhorst. *membris cum mollibus et liquoris feminei laxitate dissolutissimum fuisse* tradit, ad q. l. vid. *Hand.* ad *Gronov.* Diatr. Stat. T. I. p. 259. not. Cfr. Hymn. Homer. VII. 2., in quo Bacchus *νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικώς, πρωθήβῃ*, dicitur.

Maur. p. 249. s. Cuius rei duo ponamus exempla. Primum petimus ex Ovid. Metam. XV. 398. seq., in quo loco agitur de Phoenice ave:

> Quo simul ac casias et nardi *levis* aristas,
> Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrhâ:
> Se super imposuit.

Ita Bachius h. l. recte scripsit, nam *levis nardus* est nardus pinguedine nitens, Santenio interprete l. c., in quo ea de causa nihil erat asperi vel horridi, ut ipsius plantae naturae optime convenit. Vid. Isidor. Origg. XVII. 9, 3. Nardus herba est spicosa — quorum alia Indica, alia Syriaca vocatur. Est autem Indicum multiforme, sed melius Syriacum, leve, fulvum, coruscum, spica parvum, odorissimum, Cyperum simulans. Alios idem Bachius landavit, qui quoque similem Propertii (III. 17, 31.) locum adhibuit: *levis odorato cervix manabit olivo.* Tum idem Bachius recte restitit Santenio, qui in Metam. XII. 526, 5.

> Hanc ubi lustrantem *leni* sua castra volatu
> Mopsus et ingenti circum clamore sonantem
> Adspexit

scribere voluit: *levi volatu.* Nam primum *lenis volatus* est aequabilis volatus, *ordo longus* (ut est apud Virgilium Aen. I. 395), quem in auguriis et ominibus inesse maxime optabant veteres, deinde non perspici potest, ut Bachius bene vidit, qua ratione producta syllaba v. *levis*, nisi respondeat graeco vocabulo λεῖος, in hoc loco explicari possit. Alterum exemplum est Horatii in libro de art. poet. v. 26. s.

> sectantem *levia* nervi
> Deficiunt animique: professus grandia turget.

Bentleius et Weichertus in Commentat. I. de Medea oestro percita p. 4. not. ex paucis libris *lenia* scripserunt. Sed Iahnius recte iis opposuit, *lenitatem* iam per se excludere *nervos* et *animos* igiturque poetam male vituperasse, quod eum, qui *lenia* sectetur, *nervi animique* deficiant. E mea quidem sententia *levia* sunt facilia, mollia et bene fluentia, minime gravitatem vel aliquam operositatis speciem vel nimium limae laborem prae se ferentia, ad quae perficienda tamen nervis animisque opus est. Ut enim in operibus artium statuarii non solum propter robur atque firmitatem laudantur, sed etiam a gracilitate et pulchritudine maximam commendationem habent [9]),

---

[9]) Ita summis laudibus Phidiam antiqui homines extulerunt, quia τὸ μεγαλεῖον καὶ τὸ ἀκριβές (vid. Demetr. de elocut. c. 14.) coniunxit.

ita in poetarum carminibus non solum praedicantur, quae sunt diffusae eruditionis vel multiplicis artis plena, sed multo magis quae nativum animi vigorem et ingenii festivitatem produnt. Itaque bene vetus Scholiastes ad h. l. haec adscripsit: „saepe enervatos versus (aut versus sine nervis, ut Satir. II. 1, 2., ubi vid. Heindorf.) scribit, qui dat operam, ut scribat delicatos.“ Contra qui *lenia* probat, ab illo intelligitur is poeta, qui teneriores aliorum poetarum, et quidem praestantissimorum affectus imitari tentans in nimiam incidit animi mollitiam ob defectum animi magni et fortis, quo adiuti poetae summi res dulcissimas cum dulcissimo affectu tractant, neque minus elate et magnifice de rebus augustioribus cogitant et scribunt. Eandem quam nos probamus, scripturam Hochederus, Arnoldus et Obbarius in Ephemerid. Antiquit. Darmstad. a. 1836. scid. 85. amplexi sunt. Quorum hic *nervos animosque* ardorem mentis, quo poeta inflammatus esse debet, explicuit, cui maxime noxium est saepenumero illud studium, quo omnia quam politissima et elegantissima esse volunt poetae. Itaque Horatius tria praecepit, primum ne sit obscurus, qui brevitatem assequi studet, deinde, ne oratione nimium exculta et ad amussim exacta impetus et ardor mentis pereat, postremum ne tumorem in scribendo captet, qui ut paullo sublimius loquatur operam dat. Quod ad alterum praeceptum attinet, id permultis exemplis apud veteres et recentiores confirmatum esse videmus; ad quam rem Obbarius apte contulit Quintilian. Institut. V. 12, 17. et 18., VIII. 3., 6. et Horat. Epp. II. 2, 122. (*nimis aspera sano Levabit cultu*), quae verba Lambinus ita explicat, ut cum nostro loco comparet utque in eo scripturam *levia* probet. Add. quae idem Quintilianus in libro X. 4, 1 — 4. egregie scripsit. Praeter illa duo exempla non minus in vincta oratione quam in soluta vocabula *levis* et *lenis* a librariis confusa sunt: vid. intpp. ad Caes. de bell. Gall. II. 8, 3., Spalding. ad Quintil. Institut. X. 1, 121. et, qui nuper Ciceronis loquendi genus illustravit, C. A.

In eiusdem operibus Dionysius Halicarnassensis de Isocrat. p. 524. τὸ σεμνὸν καὶ ἀξιωματικόν maxime conspicuum fuisse tradidit. Vid. *C. O. Mülleri* Archaeol. Art. p. 105. ed. sec. Iam si a statuariis paullo recedamus, vel in oratorum operibus *levitas* laudatur, ut apud Ciceronem de Orat. III. 52, 201. *In perpetua oratione, quum et coniunctionis levitatem et numerorum, quam diximus, rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda omnis oratio.* In q. l. *levitas* (*Glätte und Harmonie der Satzfügung*) ab optimis libris confirmatur: qui *lenitatem* probant, ut *Orellius* et *Kunissius*, de illa lenitate orationis cogitarunt, quae in eiusdem libri cap. 11. §. 41. describitur.

Iordanum in Specimine Quaestionum Tullianarum (Halberstad. 1834.) p. 11. et 12.

IV.

De vocabulo *purus*, cui subiunguntur nonnulla de vv. *horridus* et *squalidus* atque de primaria Adiectivorum significatione obliterata.

§. 1.

Ultimo loco v. *purus* posuimus. Huius vocabuli usus ad Substantiva subtilius describenda a latinis poetis creberrime ad eam pulchritudinis speciem referendus est, quae rem longe lateque extentam ita sensibus vel oculis admovet, ut nulla macula, nulla altiore prominentia offendantur. Quod vero planum et facilem adspectum non offert, id latini poetae *horridum* dixerunt. Ut igitur in v. *altus* notio proceritatis, in v. *magnus* notio virtutis et intus et extrinsecus conspicuae, in v. *levis* notio gracilitatis eminet, ita in v. *purus* rem per se apertam et manifestam, sed minime ingratam et sterilem intelligimus, velut campum, florum herbarumque amoenitate distinctum et parvis rivulis huc illuc serpentibus insignem, non tamen altissimis arboribus et apricis collibus impletum, sive arma, aere modo aut ferro fulgentia sine ullis ornamentis ex auro argentove caelatis, sive vestitum simplicem et mundum, nullis coloribus aliunde petitis splendentem. Videamus igitur singula. Virgilius Aeneid. XII. 771. campum, e quo sacer oleaster exstirpatus erat, vocat *purum*, in quo, utpote loco arboribus vacuo et nullis tumulis impedito, bene pugnari potest. Similiter Tacitus Annal. II. 19. *Pone terram insurgebat silva editis in altum ramis et pura humo inter arborum truncos.* Auct. Belli Afric. 25. *In campis planissimis purissimisque ab hora diei quinta usque ad solis occasum est decertatum.* Tum aptissima ad propriam huius vocabuli significationem Ovidius Metam. III. 708. s. *Monte fere medio est, cingentibus ultima silvis, Purus ab arboribus, spectabilis undique campus*, quo loco usus Heinsius in Fastor. III. 582. e duobus libris scripsit *Purus ager, Cameren incola turba vocat*, motus fortasse verbis praegressis: *Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes.* Sed recte Krebsius sibi a Heinsii doctrina imponi non passus est, nam Anna Perenna in fuga sua parvi receptaculi et *tuti* recessus maiorem rationem habebat quam loci *puri* a scopulis. Add. Horat. Epp. II. 2, 71. *Verum Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet*, coll. Livio XXIV. 14, 6. (quem locum iam Schmidius contulit): *postero die signis collatis dimicaturum puro ac patenti campo, ubi sine ullo insidiarum metu vera virtute res geri posset.* Talem campum *purum* la-

tini poetae interdum campum dixerunt *apertum*, ut Virgil. Georg. II. 112, 280. Aeneid. XII. 353. Ovid. Fast. II. 227. Epp. ex Pont. I. 5, 19. cfr. Drakenb. ad Sil. Ital. XI. 417. et Markland. ad Stat. Silv. II. 7, 14. p. 252. Dresd. Apud Graecos καθαρὸς λειμὼν seu καθαρὸς χῶρος simili vi leguntur, ut apud Homer. Iliad. VIII. 491. XXIII. 61. Aristoph. Eccles. 320. Br. et Apoll. Rhod. III. 1201. Add. Iacobs. ad Anthol. Graec. T. VII. p. 293. et Wüstemann. ad Theocrit. XXVI. 5.

§. 2.

Porro vis et propria significatio v. *purus* satis luculenter e v. *horridus* apparet, quo a poetis omnia appellantur quae erecta stant aut eminent ideoque oculis minime liberum praebent adspectum. Exemplo sunt hi loci: Georg. III. 161. *campus horrens* ob glebas duras et asperas, v. 315. *rubi horrentes*, IV. 96. *turpes apes horrent*, Aen. III. 23. *densis hastilibus horrida myrtus*, VIII. 654. regia Romuli *culmo recenti horrens*, quae omnia ab asperitate spectantur neque cum sordium ratione, ut Georg. II. 64. *arbutus* dicitur *horrida* a cortice hispido et aspero et ibid. I. 314. *Spicea iam campis-messis inhorruit*, tum Horat. Carm. III. 29, 23. *horridi dumeta Silvani* et praecipue Stat. Silv. II. 6, 48. *simplexque horrore decoro Crinis*, aut Theb. VI. 492. *pulverei venit in spatia horrida Circi*, unde Idas, qui in currendo Maenalium gradu premit eiusque humeris inspirat, ipse dicitur *horridus* in eiusdem libri v. 603. Cfr. Peerlkamp. ad Horat. Epod. 5, 27. p. 460. Sed quia res erectiores atque e planitie aliqua ratione eminentes non raro, sive per se sive causis extrinsecus accedentibus, metum atque formidinem iis incutiunt, qui e longinquo adspectant veramque ipsorum naturam ignorant, factum est, ut vocabulum *horridus*, *horror* et *horrere* a poetis latinis de iis rebus ponerentur, quae nos timore implent mentemque nostram tacita aliqua praesensione malorum percellunt. Ita Aeneid. II. 757. *Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent*, vel in leviore re ibid. I. 165. *Horrenti — atrum nemus imminet umbra*, in descriptione tempestatis III. 195. et V. 11. *inhorruit unda tenebris*, ubi recte Heynius: mare horret, exasperatur, fluctibus motis: quatenus ii nigri sunt, dicti sunt tenebrae. Cfr. Luc. II. 455. *horrisoni fluctus.* Stat. Theb. II. 129. de tigride, quae senatorum murmur audivit, *horruit in maculas* ad iram et feritatem significandam, quibus tigris ita movetur, ut vel pellis maculosa surgere et aliis horrorem iniicere videatur. Ita Lutatius hunc locum cepit, quem Bernartius male de retibus intellexit [10]). Cfr. IV. 678. *Hyrcanae ad signa iugales Intumuere iubas* X. 291. *Caspia tigris — Lassavitque genas* et,

crasso sordida tabo, *Confudit maculas*. Porro *horror* est arborum, ut apud Lucanum III. 411. *Non ullis frondem praebentibus auris Arboribus suus horror inest*, ad q. l. Oudendorpius bene observavit, motum, qui arboribus per se inest, tum ventis illas non agitantibus cessasse, ideoque horroris plenas esse eosque terrere, qui ipsas adspicerent. Idem attulit Valer. Flacc. III. 403. *Stant tacitae frondes immotaque silva comanti Horret verna iugo*, in quo loco horroris descriptio commemoratione veris adiuncta admodum augetur. Cfr. Aen. VII. 172. *Tectum augustum — Horrendum silvis et religione parentum*. Similiter vel prosaici scriptores, ut Liv. XXXIX. 51. *Hannibal — Flaminii adventum velut fatalem sibi horruerat*. Cic. de Orat. II. 45, 188. *Quae me Hercule ego, Crasse, quum a te tractantur in causis, horrere soleo. Tanta vis animi, tantus impetus etc.* Add. Barth. ad Claudian. p. 725. et Doederlin. Synonym. Latin. T. II. p. 199. s. Haec igitur veneratio, qua moti plerumque mala ingruentia timemus, in rebus sacris atque divinis animos vel suaviter afficere et ad laetissimam exspectationem abripere valet. Hinc Lucret. III. 28. *His ibi me rebus quaedam divina voluptas Percipit atque horror*. Stat. Theb. I. 493. *Obtutu gelido ora premit laetusque per artus Horror iit*. Add. Sophocl. Aiac. 678. (693. Br.) Ἔφριξ᾽ ἔρωτι, περιχαρὴς δ᾽ἀνεπτόμαν ubi vid. Hermannus et de usu v. φρίσσειν Doederlin. l. c.

Postremum trita est observatio et naturae rei sane accommodatissima v. *horridus* maxime adiungi bellis atque rebus bellicis. Itaque paucis defungar exemplis. Aeneid. VII. 526. *Horrescit strictis seges ensibus*. XI. 601. *Late ferreus hastis horret ager*. I. 3. *Horrentia arma*. VI. 86. *horrida bella*, X. 178. *Horrentes hastae*, Stat. Theb. X. 32. *Rusticus horror in armis* cet. Vid. Marcland. ad Stat. Silv. IV. 1, 14. p. 189. Lond. (p. 304. Dresd.).

§. 3.

Denique ea restat v. *horridus* significatio, in qua, notione primaria asperitatis plane omissa, sola manet admirationis atque stuporis notio, neque ulla ratio rei alicuius rudis et illevigatae habetur. Ita Sibylla, de cuius figura nihildum mali aut sinistri dixerat poeta, a Virgilio Aeneid. VI. 10. *horrenda*, immo ipsa

[10]) *Horrere in maculas* similiter dicitur ut *in vulnus cadere* Theb. IV. 463., *furere in tela* Lucan. VII. 295., *in segetem turgescere* VI. 109., *in civem rubescere* Claudian. IV. Consul. Honor. 617. *irasci in cornua* Virg. Georg. III. 232., Aen. XII. 103. ibiq. Voss. et Wagner. Add. Bach. ad Ovid. Metam. VIII. 885. X. 538. Peerlkamp. ad Horat. Carm. III. 13. p. 301. et Iacobs. ad Aelian. Histor. Animal. I. 32. p. 30.

Camilla, pulcherrimae et bellicosissimae mulieris imago, *horrenda virgo* dicitur in libr. XI. v. 507., quid, quod apud Silium Italic. XI. 205. et 421. *virtus* appellatur *horrida*, in quo Epitheto ut in similibus vv. *atrox*, *ferox*, *improbus* (vid. Drakenb. ad XI. 421. et Rupert. ad l. 2. et 58.) mera inest admirationis et magnitudinis significatio. Causam huic immutationi quaedam actio dedit insolita et magnitudine sua oculos non solum percellens, sed etiam praestringens, ut in rebus naturalibus et antea nondum visis fieri solet, quae tantam in spectantes vim habent, ut ipsi unice in hac re haereant. Ita Statius egregie ovem depinxit, cuius pullos in nido relictos serpens devoraverat: *Illa redit querulaeque domus mirata quietem Stat superimpendens advectosque horrida moesto Excutit ore cibos* (Theb. V. 602. s.) in q. l. vetus Scholiastes non male v. *horrida* interpretatus est: conturbans plumas et erigens, perdens suam formam dolore. Et in alio loco (XII. 107.) legitur de feminis viduis et miserrima conditione afflictis: *at illis Horruerant lacrimae*, quibus verbis idem Scholiastes eas quasi congelatas tam immanium rerum auditione a poeta descriptas esse annotavit. Similem vim habent Stolbergii nostri verba in carmine quodam notissimo: *thränenlos und ohne Klage.* Talem permutationem iam Homerus praeivit, ut in usu v. *πορφύρειν*. Vid. Il. XXI. 55. *πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρε μένοντι* et similes locos Odyss. IV. 427, 572. X. 309., in quibus primaria v. significatio, quae a v. *πορφύρα* deducitur, plane obliteratur. Neque aliter factum esse videmus in v. *καλχαίνειν*, cuius propriam vim, a. v. *κάλχη* deducendam, omnino abiecit tragici sermonis consuetudo: vid. Sophocl. Antig. 20. *δηλοῖς γάρ τι καλχαίνουσ' ἔπος.* Add. Eurip. Heraclid. 40. et ad priorem locum Seidleri et Wexii annotationes, e quibus prior haec scripsit: si colore aliquid inficere paramus, id in colorem sive in vas, colore fluido repletum, immersum versamus et agitamus in illo. Hinc Schol. *ταράττειν* et Hesychius *κυκᾶν*. Inficiendi igitur notio afferebat Graecis simul versandi, agitandi notionem, ita ut *καλχαίνειν* simul simpliciter significaret *agitare*. Hoc autem satis notum est ad animi cogitationes transferri, est igitur *animo agitare aliquid*, *in intimo pectore volutare*. Sic et Seidlerus. Simili modo Apollonius Rhodius IV. 1670. usum v. *μεγαίρω* plane diversum ab eo, quem in Homericis carminibus invenimus (vid. Buttmann. Lexilog. T. I. p. 258. sq.) constituit, scribens: *ἐχθοδοποῖσιν Ὄμμασι χαλκείοιο Τάλω ἐμέγηρεν ὀπωπάς.* In his v. *μεγαίρειν* est animo esse infesto, qualis in fasciuandis Tali oculis cernitur. Idem fit a Virgilio in Aen. VI. 477. *inde datum molitur iter*, in quo loco *moliri* nihil esse videtur quam: peragit

iter, omissa illa significatione, qua res magnae magnique apparatus describuntur; ut Georg. I. 129. Aen. X. 131. XII. 327. et in locis apud Bach. ad Ovid. Metam. II. 135., tum a Claudian. de nupt. Hon. et Mar. 119. de Stilichone, *qui cuspide Gallos Italiamque fovet*, ad q. l. Gesnerus caute monuit, tenendum esse, ne quis h. v. nimis insolens positum putet, v. *fovere* proprie dici de avibus, quae ova vel pullos incubando et fovendo non calefaciunt modo, sed protegunt et vim ab iis defendunt. Cfr. Ovid. Trist. I. 5, 41. *non contraria fovi Arma.* Add. eiusdem Claudiani locum de rapt. Proserp. I. 240. *nec flamine tanto Incoctum maduit lassa fornace metallum;* in q. l. *maduit* plane significat *fluxit*, docente Gesnero, qui in II. 38. verba de Proserpina dicta: *nec membris*, *nec honore minor* recte de pulchra et honesta facie interpretatus est, ut apud Virgilium Aen. III. 474. vv. *multus honor* Heynius bene accepit de verbis honorificis, ad q. l. Wagnerus laudavit Sil. Ital. II. 483. add. X. 572. Proxime vero ad v. *horrere* accedit usus poetarum, qui est in v. *squalere.* Omnino squalent, Heynio iudice ad Georg. IV. 91. et Aeneid. X. 314., quae non sunt levia ac nitida; quae vero tantum ab asperitate spectantur, ea *horrere* dicuntur, etiam sine sordium notione. Quam differentiam Doederlinus in Synonym. Lat. T. II. p. 40 — 43. subtilius persecutus [11]) recte demonstravit, qua ratione Virgilius Aen. X. 314. *tunicam* dixit *squalentem auro* et XII. 87. *loricam auro squalentem.* Minime enim nitorem tunicae et loricae respexit poeta, sed copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti, quae sunt verba Gellii in Noct. Attic. II. 4., cuius mentem in derivatione h. v. a verb. *squama* Doederlinus p. 42. ingeniose declaravit et cum sermonis latini natura composuit. Accedit, quod in rebus ad bellum et armaturam pertinentibus non modo pulchritudo et elegantia oculos in se convertunt, sed pondus quoque auri seu argenti seu ferri in unum locum congesti maiorem speciem adspectantibus praebet, quamvis homines elegantiores talem habitum contemnant eumque dicant fucatum et adscititium, minime sincerum atque purum. Hinc factum est, ut prior vocabuli significatio paullatim periret et sola notio rei ingratae atque terrorem incutientis eidem verbo inhaereret, ut apud Virgil. Georgic. I. 507.

[11]) Haec sunt doctissimi viri verba in p. 41: „die Begriffe gehen darin auseinander, dafs in *squalere* der Begriff des *Saftlosen, Unzarten, Unangenehmen* und *Häfslichen*, in *horrere* der Begriff des *Starren, Festen, Unbiegsamen* und *Furchtbaren* vorherrscht."

squalent abductis arva colonis. Lucan. Phars. IX. 626. *squalebant late Phorcynidos arva Medusae*, in q. l. Weisius v. *squalere* non recte interpretatus est: *fervebant.* Senec. Herc. fur. 365. *vastis ager squalebit arvis* et ibid. 39. *Sterilis profundi vastitas squalet soli.* Nam in his locis agrorum squalor tantum in solitudine cernitur, quum agri inculti iaceant, glebis huc illuc disiectis, et laeta segetum atque hominum incolentium imagine plane expertes sint, ita ut hoc foedo adspectu terrorem visentibus incutiant. Similiter apud Ovidium Fastor. V. 394. *squalentia tela venenis* accipienda sunt.

§. 4.

Porro in Adiectivis haud raro primaria significatio aut plane aut magna ex parte obliterata est, ut in v. *superbus*, de quo Heynius ad Aeneid. XI. 539. non male disputavit. Add. Wagner. ad XII. 126., qui docet, hoc Epitheton a Virgilio modo talibus viris tributum esse, qui aut victoria (vid. eund. ad Eleg. ad Messal. p. 25.) aut insolentia aut crudelitate se insignes reddiderunt. Neque ideo argutandum esse censeo in verbis Aen. II. 504. *Barbarico postes auro spoliisque superbi*, quod haec verba sunt hominis Troiani, non Romani. Nam *barbaricum aurum* est *Phrygium aurum*, quae vocabula ab optimis poetis toties inter se commutantur (vid. Obbar. ad Horat. Epp. I. 2, 7. p. 73., Bach. ad Ovid. Met. XI. 162. et Ochsner. apud Bachium ad XIV. 574.) ut Virgilium eadem ratione locutum esse minime dedeceat. Memorabilis est locus Iuvenalis Satir. X. 5. *Quid tam dextro pede concipis, ut te Conatus non poeniteat votique peracti*, in quo propriam formulae *dextro pede* vim omnino abiectam esse Weberus vidit in Annotat. p. 312. s. eamque nihil aliud significare quam in universum *felici omine*, *conatu*, unde, quemadmodum *dextro pede* rem adire dicatur, ita etiam *dextro pede* rem concipere optimo iure dici posset. In fine ex ipsius Ciceronis dictione exemplum adiungamus. Nam quum satis constet, quae sit propria v. *assiduus* significatio, Cicero saepius ita eam neglexit, ut rationem vitae, quae versatur in agendo, currendo, eundo, hoc vocabulo exprimeret. Vid. Epp. ad Attic. XIII. 12, 2. *Biennium praeteriit, quum ille Καλλιππίδης assiduo cursu nullum cubitum processerit.* Et in oratione p. Muren. 8, 21. *assiduitas et operae quotidianae* i. e. forenses coniunguntur. Est igitur in his notio vitae laboriosae et gnavae, non umbratilis atque otiosae.

Et haec quidem hactenus. Alias poetae latini in retinenda primaria vocabulorum notione tenacissimi fuisse videntur. Quod ex usu v. *merere* demonstrabimus. In quo verbo prior manet

illa significatio, dignum esse alicuius rei, quae vero quum in utramque partem, et in bonam et in malam, transferatur, compluribus locis insolitam aliquam speciem tribuit nonnullosque viros doctos hoc contractius dicendi genus in errorem induxit. Cfr. Aen. II. 585.

Exstinxisse nefas tamen et sumsisse *merentis*
Laudabor poenas

in quibus praeeunte Garatonio ad Cic. p. Milon. 23. p. 248. ed. Orell. *merentis*, quae scriptura apud Ambrog. et in Servio Dresd., teste Wagnero, comparet, pro secundo casu habeo, quasi esset dictum: de Helena merente i. e. illius, quae sceleribus suis digna est, ut poenas det. Cfr. Valer. Flacc. II. 101. *Quocirca struit illa nefas Lemnoque merenti Exitium furiale movet.* Add. Barth. ad Claudian. Bell. Getic. Praefat. v. 16. p. 305. Tum vid. Aen. IV. 611.

Accipite haec, *meritumque* malis advertite numen
Et nostras audite preces

in quibus explicandis simplicior Wagneri ratio praestat, qui ad v. *malis* intelligit Didonis mala. His ut memores sint Dii ipsamque ulciscantur precatur et *meritum* dicitur numen, quia Dido tam atrocibus malis immerito obruta fuerit. Cfr. Valer. Flacc. VII. 421. Tertius locus est Aeneid. VII. 304 — 307.

Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit; concessit in iras
Ipse Deum antiquam genitor Calydona Dianae;
Quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydona *merentem?*

Integer versus 307. appositionis loco additus est, ut iam Iahnius vidit et recte interpretatus est: quod tantum scelus (i. e. quo tanto scelere poenas) meruerant Lap. et Calyd., ut Iupiter eos Marti et Dianae in iras concederet? Est enim in h. l. *scelus merere* exquisitius dictum pro: poenam scelere merere, ut Aen. II. 229. *Et scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt.* Comp. Hom. Il. XXI. 411. οὕτω κεν τῆς μητρὸς ἐριννύας ἐξαποτίνοις. Voc. *expendere* in talibus tritum est, ut Aen. VI. 740. X. 668. XI. 258. Tacit. Annal. XII. 19. cfr. Drakenb. ad Sil. Italic. VI. 587., ut *pendere poenas* (Aen. VII. 595. cfr. Heins. ad Ovid. Trist. I. 2, 63.), *explere* (v. 766.) et *exigere poenas* p. ultionem exigere in Ovid. Her. VII. 97., ubi vid. Iahn. Eadem cum insigni brevitate Iason dixit se *hiemem merere* (Valer. Flacc. I. 197.) i. e. dignum esse, qui tempestatibus male afficiatur, tum Medea ib. VIII. 431. exclamat: *non merui mortemque tuam comitumque tuorum* i. e. an non digna sum, pro qua tu et comites tui mortem subeant; denique Stat. Theb. XI. 637. Parthenopaeum facit precantem: *Ne* (*quaeso*)

sinas hoc omine Thebas Ire, nec Arcadiae tantum meruisse pudorem i. e. ne sinas nos tam infelices esse, ut nos pudeat. Consimili ratione apud eundem X. 939. legitur: *Paullum si tardius artus Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum,* quo significatur, Capaneum, si diutius in vita mansisset, hac tarditate (licet immerito) dignum fuisse, qui denuo fulmine Iovis tangeretur: cfr. Tacit. Agricol. 4. *Iisque ipsis virtutibus iram C. Caesaris meritus.* Apud eundem Tacitum German. 14. *vulnera mereri* est, fortiter pugnando vulnera accipere (cfr. Doederlin. Synonym. Lat. T. IV. p. 122. not.). Add. Plin. Epp. I. 8, 14. *Sequi enim gloria, non appeti debet: nec si aliquo casu non sequatur, idcirco quod gloriam meruit, minus pulchrum est.* Omisimus negationem ante *meruit* fide codd. Medic. et Roman., sensu postulante et probante Heusingero in Observat. Antibarb. p. 414. s. et Schaefero ad h. l., quam igitur retinere non debebat Kiesslingius ad loc. cit. Germaniae. Iam quum hic Plinii locus ad eorum locorum numerum aggregari soleat, in quibus v. *mereri* non ad dignitatem et mercedem referri, sed simpliciter esse *consequi*, τυγχάνειν, nonnulli contendant, equidem nondum illis accedere possum, Arntzenio ad Panegyr. Vett. T. I. p. 323. a., Spaldingio ad Quinctil. IV. 2, 39. et VI. 4, 5., Dronkio ad Tacit. Dial. de Oratorib. 9, 9. p. 102., sed locis superioribus iterum consideratis primariam v. merendi significationem in illis quoque locis latere censeo. Eadem sermonis latini tenacitas in loco Liv. I. 46, 10. apparet: *Contrahit celeriter similitudo eos, ut fere fit malum malo aptissimum.* In quo si quis iungendi vocabulum ut frequentius et usitatius exspectasset, is cogitet primariam v. *aptissimus* notionem esse *coniunctus* et quae coniuncta sunt, invicem se tangere solere: cfr. Wagner. ad Virgil. Aen. IV. 682. Hinc cernitur, quam accommodate ad sensum loci Livius locutus est.

§. 5.

Sed redeundum est ex hoc diverticulo, quod ne ipsis lectoribus sit horridiusculum, ipse vereor, ad significationem v. *purus* paullo uberius declarandam. Dixeramus supra de locali h. v. significatione, in qua de campo plano, patente et aperto ponitur. Porro luminis et ignis usitatum Epitheton est v. *purus* (cfr. Dissen. ad Tibull. I. 9, 35.), deinde aquae et fontium, ut Virgil. Georg. III. 522. et in locis a Peerlkampio ad Horat. Epod. 13, 14. p. 485. collatis, tum Luna appellatur *pura nec surgens gravido cornu* (Valer. Flacc. II. 56.), quae est innubila et sine maculis. Similiter Iupiter per *purum* (i. e. coelum serenum [12]) *equos tonantes egisse* fertur ab Horatio Carm.

I. 34, 11. et sol *purus* atque luna *pura* ab eodem dicuntur II. 5, 19. et III. 29, 45. Add. Cic. de nat. Deor. II. 16, 42. *Etenim videre liceat ingenia acutiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso coelo atque concreto*; et Tibull. II. 2, 6. qui *purum nardum*, ut nobile, pretiosum genus olei, unguento opposuit crasso et mixto. Iam videamus de vestimentis et de armatura. In Aeneid. XI. 710. de Iuturna legitur: *Paribus — resistit in armis Ense pedes nudo puraque interrita parma.* Heynius et Wagnerus parmam *albam*, ut IX. 543. cfr. Sil. Italic. IV. 545., hic quoque describi putant, sed poeta id tantum, credo, ante oculos habuit, quod Iuturna, tam levi armatura instructa et sola parmula tecta, neque ut antea ab equo defensa, pugnam cum Auno ingressura erat. Quamquam hoc paullo argutius esse ipse sentio. Add. Aeneid. VI. 760. *Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta*, quae verba Servius, Varronis auctoritatem secutus, hoc modo interpretatus est: id est sine ferro, nam hoc fuit praemium apud maiores eius, qui tunc primum vicisset in proelio. Heynius hoc *δόρυ ἀσίδηρον* eiusdem praestantiae, ut sceptrum Homericum fuisse addit. Sed in Servianis non omnia sunt recte disputata. Nam Graecorum hastae et in anteriore et in posteriore parte ferrum praefixum habebant, *λόγχην*, ut apud Xenoph. Anab. IV. 7, 16. et V. 4, 12., seu *στύρακα* vel *στυράκιον* appellatam, ut apud eundem Hellen. VI. 2, 19. et Thucyd. II. 4., quod Hesychius s. v. (T. II. p. 1283.) diserte *λόγχην* interpretatur [13]. Add. Krüger ad Xenoph. Anabas. ll. cc. Hoc igitur ferro, quod veteres, ut est in Etymolog. M. p. 732, 1. *καταπηγνύειν εἰς τὴν γῆν εἰώθασι*, nititur Virgilius vel in Bekkeri Anecdot. T. I. p. 303, 7. *στυράκιον ἐπιδορατίς — ὅπερ ἐπὶ γῆς εἴωθε πήγνυσθαι, ὅταν ὀρθία ᾖν ἡ αἰχμή*, in loco Virgiliano, bellis nondum adsuetus, sed bellatoris speciem et formam iam apud inferos habens. Similiter Virgilius

[12]) *Per purum* dictum est ab Horatio, ut a Virgilio Ecl. II. 41. et Georg. III. 56. *album*, Georg. IV. 6. *tenue*, *praeruptum* apud Sil. Ital. I. 489., *serenum* Valer. Fl. II. 403. et Burmann. ad I. 332., cui add. Bentlei. ad loc. Horatii supra laudatum.

[13]) Hinc egregie emendavit Fritzschius in Epist. Crit. ad Friedemann. p. XXXVI seq. locum in Luc. Toxar. 55., scrib. ὁ *μὲν στυρακίῳ εἰς τὸν μηρὸν* sc. *τρωθείς*. Equidem in editione mea huius libri Iacobsii coniecturam in Addit. ad Porson. Advers. p. 296. propositam *στύρακι τρωθείς* non solum probare, verum etiam recipere in ordinem debebam. Lenior sine dubio Fritzschii est medela, quam typis expressam dedit Iacobitius, nuperus illius dialogi editor.

Aeoli cuspidem conversam Aen. I. 81. dixit aut Aenean longa cuspide gressus nitentem induxit in Aen. XII. 386. ubi vid. Wagnerus. Contra Camilla, Aen. VII. 817. *myrtum pastoralem, praefixa cuspide* (τὴν ἔμπροσθεν λόγχην) gerit. Myrtus est virga myrtea seu baculus myrteus, e quibus hastas et iacula faciebant veteres, teste Virgilio Georgic. II. 447. Cfr. Burmann. ad Valer. Flacc. III. 524. Barth. ad Stat. Theb. IV. 301. et intpp. ad Gratii Cyneget. 129.

Ad eandem v. *purus* significationem referamus locum Aen. XII. 169. s. *Puraque in veste sacerdos Saetigeri fetum suis intonsamque bidentem Attulit.* Haec est, ut Donatus vidit, vestis colore albo, nec purpurae variata picturis, quod Servii causa moneo, qui vestem intellexit purpura seu coloribus distinctam. Nam Virgilius significat vestem sacerdotis longam (VI. 645. ibique Heynium, Boettiger. ad Longin. p. CLIX. ed. Weisk. Iacobs. ad Achill. Tat. p. 983. et Huschk. ad Tibull. III. 4. 36.) atque albam, ἱμάτιον λευκὸν, quale gestat Alexander ille Lucianeus (cap. 11.), sacerdotis cultum et mores imitatus, cfr. Hemsterhus. ad Navig. 2. in Append. Animadv. ad Lucian. p. 34. ed. Geel. Ita apud Horatium Satir. I. 4, 54. *pura verba* sunt verba sine figuris et magno sono, ut recte explicuit Scholiasta Acronis, adsentiente Heindorfio, apud quem vid. similes locos e prosariis scriptoribus. Sed recte, ut puto, Handius ad Stat. Silv. I. 2, 136. obstitit coniecturae Iacobsii, qui in Matthiaei Miscellan. Philol. Vol. I. p. 94. pro:

In hanc vero cecidisset Iupiter auro

coniecerat *puro auro.* Profecto insigne est in hoc loco Epitheti desiderium nec, quod Iacobsius proposuit, magna veri specie caret. Melius tamen Handius locum intactum reliquit, haec addens p. 261.: Quum ab aliis poetis Iupiter in *falsum aurum* versus diceretur, Statius autem Violantillam vero amore dei dignam censeret, non acquievit in illo nomine, sed Iovem adeo praedicavit *auro vero*, quo fallere nollet, in puellam decisurum fuisse. Atque uti apud Ovidium Met. V. 11. Iupiter *falsum versus in aurum* dicitur *falsus pater Persei*, ita hic *vero auro* significatur *verus amator.*“ Quae interpretatio mentem Statii, qui insolita non raro conquirit et in singulorum vocabulorum et membrorum oppositione nimiam saepenumero ostendit argutiam, optime assequitur.

Caput secundum.

De Epithetis absolute capiendis, neque cum relatione ad eos locos, in quibus leguntur.

Disputavimus in priore capite uberius de vi atque pro-

prietate nonnullorum Epithetorum, qnibus poetae latini, ut ipsa Adiectivorum natura ferebat, creberrime usi erant. Patet quidem multo latius numerus eorum, sed abstinemus a pleniore enumeratione et explicatione, quum qui legunt poetarum latinorum monumenta, ipsi de talibus optimum ferre possint iudicium, dummodo ad nexum verborum consiliumque poetae animum attenderint. Quod non in omnibus locis Ernestius in commentatione sua de elocutionis poetarum latinorum luxurie (quae legitur in Beckii Actis Seminar. Reg. et Societ. Philol. Lipsiens. Vol. II. P.| 1.) fecit, qui p. 158 s. Epitheta, quae apud Homerum admodum placeant, otiosa tamen, frigida et ex mala vetustatis Homericae affectatione nata in Callimachi, Theocriti, Virgilii, Ovidii et aequalium poetarum carminibus existimat. Quem autem (sic ille pergit) delectare possunt illa, quae passim in Latinis occurrunt, *aqua humida*, *liquidae undae*, *pavida formido*, *muta silentia*, *aeriae aurae*, *vetus senectus*, *canae pruinae* et similia? Haec neque illustrant, neque ornant, neque amplificant, itaque nihil efficiunt et redundant. Quam ob rem illa omnia Ernestius ad luxuriem retulit. Sed idem paullo acerbius haec statuisse videtur, quod de veteribus vituperatoribus iam in Introduct. Cap. 1. §. 4. ostendimus. Nam licet viro docto largiamur, multis, etiam optimis poetis, accidisse, ut in formandis concinnandisqne versibus interdum nonnulla Epitheta non solius sensus, sed numerorum causa deligerent, attamen magnopere cavendum est, ne quae his similia sunt Epitheta nullum fere sensum habere dicamus. Neque enim, Burmanno et Beckio ad Ovid. Metam. II. 66. iudicibus, bonis poetis est vitio dandum, quoties Epithetis affinibus et idem fere notantibus, quod Substantiva, quibus apponuntur, nsi snnt aut ad augmentum orationis aut ad deminutionem aut ad discretionem. Ita accipias *aequor liquidum*, *aquae liquidae*, *liquidum Falernum*, *terra alma*, *alma Ceres*, *rapax Orcus*, *curvum litus*, *arcus sonori*, *iusti senes*, *sancti patres*, *duri bidentes*, *agni lanigeri*, *humida vina*, *vitreum mare*, *pavidus timor*, *muta silentia*, *aeriae aurae*, *saevi ignes* (vid. Bach. ad Ovid. Met. II. 313.) *undae rapidae*, *ignes rapidi*, *luci sonantes*, *virgulta silvis sonantia* (vid. Wagner. ad Virg. Aen. VI. 703.), *canes latrantes*, *torti funes* et alia verba, de quibus, ut de aliis, paullo infra disputandi erit locus. Cfr. Burmann. l. c. Burmann. iunior. ad Lotich. Carm. I. 8, 27. Kooten. ad Epit. Iliad. Homer. 862. p. 254., Lobeck. ad Soph. Aiac. 139 et 140. p. 1335., et Obbarius in annotat. ad Horat. Epp. I. 10, 48. p. 80. Talia Epitheta suam habent commendationem aut a natura locorum aut ab antiquitatis con-

suetudine aut ab animo narrantis aut a studio pulchrae exornationis. Itaque recte Eichstadius in Paradox. Horat. Part. XII. p. 13. contra Peerlkampium, qui in Horatii Carm. III. 17, 10. Epitheton *inutilis* parum aptum esse statuit, haec scripsit: Talia Epitheta, ex rerum natura hausta et ornatus causa nominibus addita, si tamquam inepta reprehendere liceret, quot damnanda forent in optimis optimorum poetarum carminibus! Tum accedit, quod Ernestius aliique vituperatores plane immemores fuisse videntur illius moris, e quo poetae latini Epitheta sua saepenumero absolute, ut cum Grammaticis loquar, nec relate ad eum locum, in quo leguntur, sed sola subiecti eiusque naturae ratione habita, ponere solebant. Ad quod praeceptum Beckius, quantum scio, primus in Commentat. altera de interpretatione veterum scriptorum ad sensum veri et pulchri facilem et subtilem excitandum acuendumque recte instituenda (Lips. a. 1791. quaternis edita) p. 101. s. mentes legentium revocavit idoneisque stabilivit exemplis. Hic igitur dicendi mos in censura Epithetorum, quoties cum verbis adiunctis congruere non videntur, minime praetereundus est, ne innumerabiles fere loci in optimis carminibus inepti et a dignitate verae poesis alieni esse dicantur. Quod quo facilius intelligatur, verba *ingens*, *tenuis*, *aureus*, *dives*, *gelidus*, *soporifer*, *vagus*, *altus*, *ingratus* et nonnulla alia in sequentibus accuratius examinemus et quae singulorum in locis singulis sit vis uberius doceamus.

1. Initium faciamus a vocabulo *ingens*. Hoc Adiectivum, quod, docente Barthio ad Stat. Theb. I. 454., monstris atque iis, quae sunt his proxima, proprium est, in Virgil. Aeneid. V. 216. de columba legitur: *plausumque exterrita pennis Dat tecto ingentem*, parum accommodate, ut videtur. Sed bene Pomponius Sabinus ad sequentia verba respexit, haec adiiciens: quum incipit columba volare, dat ingentem strepitum: inde ita quieta volat, ut non videatur alas movere. Cfr. v. 506. *ingenti sonuerunt omnia plausu*, non spectatorum, sed alarum columbae. Similiter apud Homerum Odyss. XV. 161. aquila coram multis adspectantibus χῆνα πέλωρον in unguibus portasse dicitur, quod Epitheton in insolita huius rei specie et eorum, qui aderant, admiratione suam habet explicationem. Apud eundem Virgilium legitur *ingens testa* Georg. II. 351. (fortasse ob praegressum vocabulum *saxo*), *ingens Mincius* III. 14. de flumine parvo et per agros languido cursu errante (cfr. infra Cap. IV. §. 5.), *ingens* Aeneae *manus* Aen. V. 487., per quam, ut Wagnerus annotavit, magna vis et robur corporis in manuum operibus conspicuum declaratur, veluti

VII. 676. silva appellatur *ingens* propter Centauros per eam proficiscentes, ut totius rei imago fiat maior et excelsior. Eandem vim verbi in X. 541. Wagnerus aperuit, in quo *umbra ingens* est ea umbra, qua nulla est tenebricosior aut magis perpetua, cui locum comparamus e Stat. Theb. I. 454. *vestris in finibus ingens Nox operit.* Quam idem poeta in alio loco V. 51. dixit *umbram ingentem*, ea, licet per hanc mons Athos insulam Lemnum obscurasse narratur, immoderatum Statii dicendi genus prodit, neque talibus locis defenditur, in quibus v. *ingens* de heroibus eorumque rebus gestis positum invenimus, ut apud Valer. Flacc. IV. 344., Stat. Theb. IV. 234., 772. et Silv. III. 1, 36. ubi vid. Marclandus. Denique Wagnerus ad Aen. V. 487. addidit, tam varium huius Adiectivi usum fuisse, ut ne illa lectorem male habere possint, quibus quae plane similia sunt frustra quaerat, ut *iussa ingentia* Aen. VII. 241., *ingens obsidio* VIII. 647. Est enim in talibus locis id praecipue tenendum, v. *ingens* designare magnitudinem quidem extraordinariam, sed talem, quae nos minime perpetua admiratione impleat, sed subito obstupefacit, qualia (sunt verba veteris Scholiastae ad Stat. Theb. XI. 326.) solent esse omnia ex inopinato supervenientia. Ad quam sermonis consuetudinem quum accedat liberius dicendi genus et mera temporis praesentis cogitatio, omnibus, quae extrinsecus sunt, omissis, quidni columbam excitasse plausum ingentem et Mincium ingentem fluvium dici potuisse negamus? Sic a Statio Theb. IX. 491 — 493. fraxinus in extremo litore stans describitur, quae *ingenti vadum possederat umbra*, in quibus non luxurians poetae ingenium agnoscimus, sed vividam illius arboris repraesentationem, quae ipsa maior quasi fuisse videtur in praesentissimo Hippomedontis periculo. Cfr. Lucret. VI. 674. sq.

II. Contrariae significationis est v. *tenuis*, reprehensum tamen eodem modo, ut v. *ingens* in Georgic. I. 92.

Ne *tenues* pluviae rapidique potentia solis
Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.

Recte Heynius v. *tenuis* e natura pluviae petitum esse censet, falsus vero est in eo, quod nullam plane vim huic vocabulo inesse dicit. Tum Wagnerus quoque Epitheton improbat, quia necessario et sequentium verborum causa multa et nimia pluvia intelligenda est: ideoque aliud Epitheton requirit, nisi e more quodam poetarum latinorum idem vocabulum minus commode positum putemus, cuius rei exempla laudat Aen. III. 76. et 322. Cfr. Quaest. Virgilian. XXXX. 1. Sed nondum me poenitet eorum, quae olim scripsi in Disquisit. Virgil. Part. I. p. 9., poetam hoc Epitheton bono cum consilio elegisse, quo

solis rapido colori et penetrabili Boreae frigori tenuem pluviam opponat, quae tamen non sine aliqua vi in segetes esset, quum eas lente quidem, sed non mediocri cum detrimento perdat et adurat. Solem et frigus magis aperte sentimus. Itaque I. G. Geislerus in Scholiis ad Georgica Gothae a. 1773. editis *tenues pluvias* non male accepit de robigine, laudato Servio ad v. 131. Hanc igitur propriam v. *tenuis* vim vel in hoc loco, in quo fortius Epitheton ab interpretibus exspectatur, Virgilius premere voluit, fere ut Ovidius Metam. IV. 123. s. paullo insolentius de fistula dixit: *tenues stridente foramine longe Eiaculatur aquas* i. e. guttae aquae cum vi emissae huc illuc in gramine dispersae conspiciuntur. His non repugnant, quae statim in eodem versu de fistula leguntur, *atque ictibus aëra rumpit.* Nam poeta non ad paucitatem et levitatem aquae, quam Epitheton *tenuis* aliis in locis (vid. Dissen. ad Tibull. II. 6, 8. p. 304.) exprimit, respexit, sed quoque ad nitorem et claritudinem aquae, ut in alio loco Fastor. II. 249. s. *„I mea," dixit, avis, ne quid pia sacra moretur, Et tenuem vivis fontibus affer aquam.* Simili ratione Ovidius Epitheton levioris generis post fortiora vocabula elegit Metam. VII. 549. *Non illa canes avidaeque volucres, Non cani tetigere lupi*, ut Tibull. III. 6, 15. *Armeniasque tigres et fulvos ille leones Vicit.* Cfr. Bach. in libro: *Geist der römischen Elegie* ad Propert. I. 14, 23.

III. Ad Virgilium redeuntes Epitheton *altus* in loco Aen. III. 461. 462. simili ratione, ut in prioribus exemplis, non cum iis verbis, quae praecesserunt, congruere videmus. Nam quum Evandri domus in v. 455. *humile tectum* appellata esset, eandem poeta deinde v. *alta* notavit, scribens:

Nec non et gemini custodes limine ab *alto*
Praecedunt gressumque canes comitantur heriles

In his Wakefieldus et Markland. ad Stat. Silv. I. 1, 46. p. 9. (p. 165. ed. Dresd.) correxerunt *limine ab arto*, probante Hand. ad Stat. T. I. p. 95. Et habet haec mutatio quo commendetur. Nam primum vv. *altus* et *artus* non uno in loco a librariis confusa sunt (vid. Valer. Flacc. VI. 421.), tum de locis et regionibus saepius v. *artus* ponitur, ut apud Tacit. Ann. II. 19. *arta intus planitie et humida.* Agricol. 36. *Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto* (sic plurimi interpretes, pro *in aperto*) *pugnam non tolerabant.* Caes. de bell. Gall. VII. 18. *artiores silvae.* Ita *arti tori* apud Stat. Theb. V. 30., *arta compages*, Aen. I. 293. cfr. Drakenb. ad Sil. Ital. VII. 280., Bentlei. ad Horat. de art. poet. 423. et Lud. Trossium in libello Observ. Critic. Hammoniae a. 1829.

edito, p. 20. Sed eundem Silium Ernestius male tentavit scribendo in II. 355. *mens atra* p. *mens arta.* Iahnius contra, qui neque voc. *altum* in loco Virgiliano Epitheton perpetuum et proprium liminis esse putat, ut Heynius voluit, neque de limine domus in monte positae haec verba intelligi posse censet, probat e libris nonnullis Macrobii Saturnal. V. 8. lectionem *limine in ipso* eamque non plane indignam, quae in ordinem recipiatur, existimat. Nec male quidem. Pluribus enim in locis Virgilius hoc pronomine ad vim alicuius nominis augendam utitur, omissa illa oppositionis notione, qualem in hoc pronomine lingua Teutonica necessario requirit. Vid. Aen. III. 8. *Classem — sub ipsa Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae*, ut apud Caesar. de bell. civ. I. 45. *Sub ipsis radicibus montis.* Aen. VIII. 561. *Praeneste — sub ipsa:* cfr. Wagner. Quaest. Virgil. XVIII. 2. not. 1. p. 468. Add. Culic. 223. *Quum te Restitui Superis leti iam limine ab ipso.* Propert. III. 21. (al. 20.) 4. *Ipse alimenta sibi maxima praebet Amor.* IV. 3, 50. *Hanc Venus ut vivat ventilat ipsa facem.* Neque solutae orationis scriptores illum pronominis usum vitaut, ut Cic. Orat. I. 11, 49. *Ornatus vero ipse verborum, oratoris putandus est.* Vid. Huschk. ad Tibull. I. 4, 71. et Held. ad Caesar. de bell. civ. I. 27.

Quamquam his exemplis lectio Macrobii non mediocriter confirmatur, equidem scripturam codicum *in alto* retinendam esse duco. Ad quam tuendam magis me movet consensus librorum scriptorum, quam usitata illa poetarum ratio per v. *altus* certis rebus, vel levioribus, maiorem gravitatem et augustiorem vim tribuendi. Cuius moris exempla posui in capite primo huius partis, §. 1. Quae observatio si ad nostrum quoque locum pertinet, id solum a poeta significatum esse volo, quod limen Evandri praestantiae causa prae ceteris Arcadum casis *altum* nominatum sit. Ita VII. 343. Laurentis tyranni tecta dicuntur *celsa* et Adrasti regis atria *alta* in Stat. Theb. I. 435., immo ipsi pastoritiae Tyrrhi domui *tecta ardua* in Aen. VII. 512. attribuuntur, ut in descriptione clypei Achillis apud Homerum Il. XVIII. 589. σταθμοὶ et κλισίαι pastorum appellantur κατηρεφεῖς. Nimirum ita adsueti erant Romani poetae limen dicere *altum*, ut regiae: cfr. Schlegel. Script. Critic. Vol. I. p. 86. et Wagner. Quaest. Virgil. XXXX. 1. Non plane dissimilis est locus Lucani Pharsal. VII. 226. *Sicci sed plurima campi Tetrarchae regesque tenent magnique tyranni Atque omnis Latio quae servit purpura ferro.* In his iidem qui magni appellantur tyranni statim post ut Romanorum servi describuntur, unde apparet voc. *magnus* Lucano ad justam regii nominis exornationem ita ne-

cessarium visum esse quam Virgilio v. *altum* ad limen regis significandum. Utrumque igitur Epitheton absolute, ut dicunt, capiendum est nec cum quadam relatione ad locum, in quo positum est.

IV. Porro haesit Heynius in eiusdem generis loco Eclog. III. 70. 71.

> Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
> *Aurea* mala decem.

illa mala tantum ornatus causa aurea dicta esse existimans, quae et a Theocrito Idyll. III. 10., unde sua Virgilius hausit, et a Propertio II. 34, 69. simpliciter mala appellantur. Beckius l. c. intellexit simpliciter egregia mala, Spohnio autem non alia esse videntur quam vulgaria mala. Sed saltem addere debebat, haec mala a Menalca, homine rustico et urbanae magnificentiae ignaro, aurea dici, quia sibi ita fulgere videbantur, ut aurum ipsum fulget. Ita Eclog. VIII. 52. *aurea mala* commemorantur et Aen. II. 388. *aurea sidera.* Vid. Wagner. ad Aen. XI. 490. et Ovid. Metam. XV. 669. *aureus* — *in serpente Deus praenuncia sibila misit* ob colorem serpentis rutilantem. De eodem vocabulo in Aen. VII. 190.

> quem capta cupidine coniux
> *Aurea* concussam virga versumque venenis
> Fecit avem Circe

Servius falsum tulit iudicium, Circen ipsam dici auream, et quidem per ironiam. Nam licet duo Epitheta certis de causis posita (vid. Wagner. ad Virg. Aen. V. 24.) non offendant, atque *aurea* communis fere est appellatio Dearum, ut Veneris apud Ovid. Metam. X. 277. et XV. 761., Ariadnae, (Fast. III. 512.) aliarumque, de quibus vid. Bach. ad Metam. XIII. 587., in hoc tamen loco res longe aliter se habet. Vox *aurea* est Epitheton v. *virgae* et per synaeresin pronuncianda, ut patebit e Wagneri annotatione ad Aen. I. 698. Deinde *aurea virga* proprie accipienda est, veluti omnia, quae a poetis tribuuntur Diis et principibus, vel quae reges, reginae et virgines e regio sanguine ortae manu gestant ex auro solido constare dicuntur. Vid. Aen. IV. 149. X. 16. coll. Hymn. Homer. in Vener. 7., Ovid. Heroid. IX. 28. XIII. 32., Porson. ad Eurip. Hecub. 153. et Boissonad. ad Aristaenet. p. 205. Porro *aurea* nominari quae multo auro sunt ornata, ut templa, hastae, aedes al. solemne est apud poetas: vid. Propert. IV. 1, 5., Ovid. Metam. IV. 763., VII. 673., Aen. VIII. 347. 553. al. Sicuti v. *aureus* ita v. *dives* absolute capiendum esse censemus in Aen. IV. 260. *quae dives munera Dido Fecerat*, quod Wunderlichio ieiunita-

tem sapere visum erat. Sed non opus erat, ut poeta adderet, quibus divitiis Dido abundaret, quam semel nominasse sufficiebat post ea, quae e primo libro de magnis Didonis opibus unicuique lectori satis nota esse debebant. Praeterea versus proxime antecedentes documento sunt, quam dives regina fuerit. Aliud huius moris exemplum est in eiusdem libri v. 486. Describitur enim sacerdos Massylae gentis et custos templi Hesperidum, draconi

Spargens humida mella *soporiferumque* papaver

quod Epitheton cum natura draconis, quem pervigilem esse oportebat, non congruere iam Servius vidit. Tum sic pergit: sed dicimus variam vim praebere victuum diversa diversis animalibus. Nam salices hominibus amarae sunt, dulces capellis, item cicutae, secundum Lucretium, hominibus venenosae sunt, quum pingues reddant cepellas. Ergo et papaver, licet det hominibus somnum, draconi adimit forsitan, et est ergo excusatio. Potest tamen melior esse sensus, si *Servabat in arbore ramos* plena sit sententia; sequentia vero sic accipiamus: Haec se promittit carminibus curas solvere *Spargens hum. mell. soporif. pap.* i. e. miscens, ut supra (2. 98.) dictum est ex Cicerone: *Et spargere venena didicerunt.* Nec incongrue ad amaritudinem amoris mel adhibebat, ad oblivionem papaver." Ineptit in his Servius, alias vir cauti et prudentis iudicii. Itaque Iahnius, quem G. E. Weberus in Corp. Poet. Latin. p. 133. sequitur, illam sacerdotem mella et papaver in via sparsisse voluit, quibus advenientes ab horto arceret et poma Hesperidum servaret. Id Wagnerus praeclare excogitatum esse iudicavit, si probari potuisset ex ipsorum veterum testimoniis, eos mel et papaver ad hunc usum adhibuisse. Profecto sacerdos, si aditum defendere voluisset, aliis usa fuisset auxiliis. Neque ego cum Waddelio facio, qui *arcens* coniecit pro *spargens*, aut cum Schradero, qui totum versiculum damnavit et plane eiiciendum esse censuit. Iustiorem aliquam Virgilio excusationem Heynius ex ea re petit, quod, quum cibus lautior et dulcior pro more posterioris Graeciae e melle atque papavere mixtus esset, isti draconi lautior quoque cibus, ex offis mellitis (vel *μελιττούταις*: vid. Creuzer. Symbol. et Mytol. T. II. p. 339.) et papavere comparatus esse a poeta fingitur. Voc. *soporiferum* idem ornatus causa a Virgilio additum esse censuit. Wunderlichius denique litem quam brevissima ratione diremit, poetam hic ut in Eclog. X. 66. Epitheta non satis circumspecte elegisse pronuntians. Sane habet illud Epitheton, quo in hac verborum iunctura offendimur, quo tamen multo magis offenderemur, si poeta ipse loqueretur (ut in v. 265. Epitheton

altae v. *Carthaginis* e sola Virgilii mente, non Mercurii, adlectum esse videtur) aut sacerdotem loquentem induceret. Sed Dido ipsa loquitur, cui poeta in hac copiosa sacerdotis descriptione aliquid ex antiqua Graecae linguae consuetudine tribuisse videtur. Non dissimile, ut puto, est genus Epithetorum Homericorum, quae in Introduct. Cap. 1. §. 4. illustravi, ut Venus etiam quum belligerat, φιλομμειδής dicitur Il. XX. 40. et in Odyss. XII. 316. Aurora novum diem reducens solito vocabulo ῥοδοδάκτυλος nobilitatur, licet ex illis, quae ante et post hunc versum leguntur, abunde pateat, coelum fuisse obscurum et nimbosum. Sic in eiusdem libri v. 48. κῆρος appellatur μελιηδὺς, quod vocabulum cum illo loco, a quo dulcedinis notio longe abest, minime consentire videtur, plane ut in loco Ovidii Metam. VIII. 226. *Rapidi vicinia solis Mollit odoratas*, *pennarum vincula*, *ceras*, quem nimis festinanter Burmannus hac de causa corrigere voluit. Add. Odyss. XIII. 436., in quo Eumaeus per noctem corpori suo δέρμα ταχείης ἐλάφοιο iniecisse narratur, cui loco et negotio plures certe vocabulum ad δέρμα aptatum, quo densum illud et firmum fuisse declararetur, longe accommodatius duxissent. Sed Homerus primariam cervae virtutem, celeritatem, prae omnibus aliis exprimere voluit, prorsus ut Virgilius v. *soporifer* eam papaveris proprietatem, quae maxime valet ad homines, declaravit. Tali vero observatione locum Aen. XI. 195. minime tueor, in quo parum apte Virgilius cum galeis, ensibus, frenis, quae in rogo Lausi concremabantur, *ferventes rotas* coniunxit. Scilicet ineptum est hoc Epitheton in re funebri, quod in pugnae ardore et tumultu admodum idoneum fuisset, sicuti Bachius in Metam. II. 324. recte vidit, in vv. *fumantia abluit ora* aliquid esse incongrui et alieni a reliqua poetae narratione. Talia aliquam cum oxymoris cognationem habere videntur, a quibus Virgilius constanter abstinuit (loci enim Georg. I. 467. et Aen. IV. 80. minime huc pertinent), alii contra poetae magnopere sunt delectati: vid. Drakenb. ad Sil. Italic. I. 225., Schmid. ad Horat. Epp. I. 11. 28. et I. 12. 19., Garaton. ad Cic. Philipp. I. 2. T. I. p. 19. Wdf. et Kritz. ad Sallust. Catil. 10, 2. Locum Valerii Flacci I. 63. *et dabat* (Medea) *hesterno liventia mella veneno*, cui Heinsius nostrum locum comparavit, nullo pacto mutandum esse censeo, quamvis eum pulchritudine Virgiliano versui longe inferiorem indicem. Quid enim suavitatis aut utilitatis habent illa mella, quae postquam Medea pridie venenis miscuerat, postero die livorem contraxerant, quum recentia candida esse soleant?

V. Ad alios locos Virgilianos progredientes invenimus in

sind sämmtlich Cartons, welche gehörigen Orts eingeklebt werden müs…

Aeneid. I. 127. vexatum locum (vid. Heynii Excurs. V. ad libr. I.) de Neptuno, quem poeta facit *graviter commotum* sensisse emissam hiemem, et tamen summa unda *placidum* caput extollere. Haec verba Beckius l. c. sic exposuit: „Ergone, qui iratus est, placidum habet caput? Non puto *placidum* caput proprium Deo et perpetuum habendum esse, immo, quando maris fluctus componere vult, tum caput ei *placidum* tribuitur; itaque hic etiam convenit, ubi quamquam indignatus tamen Aeneae causa mare placare constituerat.“ Sed distinctius, id quod Böttigerum in libro a Silliglo edito: *Ideen zur Kunst-Mythologie* T. II. p. 349. fecisse video, pronuntiandum erat, illum placidum vultum ad divinam Neptuni imaginem, qualem Virgilius apud animum sibi informaverat, necessario pertinere. Nam vultus et capilli Neptuni aliquam cum Iove Phidiaco habebant similitudinem, unde caput vel irati Dei *placidum* a poeta optime dici potuit. Similiter *victor* (*Victorem Buten immani corpore — Perculit*) quatenus antea vicerat, ut Horat. Carm. III. 27, 28. de Europa locutus est: *palluit audax* i. e. quae antea fuerat, et Ovidius Metam. V. 6. *Convivia — Assimulare freto possis*, *quod saeva quietum Ventorum rabies motis exasperat undis*, ad q. l. In glossis cod. Dresd. est: *quietum* i. e. fretum prius quietum. Cfr. Sillig. ad Cirin. v. 129. Sic Ovidius Metam. I. 297. ancoram in diluvio Deucalionis figi dixit in prato *viridi*, non, quod tum viride esset, sed quoniam prata per se sunt viridia, ut v. 630. Sol sub terra *alta* esse dicitur. Quibus locis et qui his sunt similes locum Virgil. Eclog. I. 60. *Ante leves* (vid. Odyss. XIII. 436.) *ergo pascentur in aethere cervi* tueor. Add. Aen. VIII. 28., in quo loco Aeneas *sub ripa gelidique sub aetheris axe procubuisse* dicitur. Sunt qui hoc de coelo Italo a Virgilio dictum esse iudicent; sed tales vituperatores totam rerum conditionem et Aeneae animum tristissimum e memoria plane omisisse videntur. Quam mentem quo aptius poeta describeret, vel in rebus externis depingendis talibus usus est Epithetis, quae coeli intemperiem, in illis regionibus minus usitatam, declarant et rationem aliquam cum moesto Aeneae animo habent. Ita in Aen. VI. 16. *gelidae Arcti* cum relatione ad Daedali iter triste et periculosum positae sunt, neque reprehenderim (quod G. F. Wenschius in Programmat. Viteberg. 1829. p. 5. fecit) Horatium, qui in Carm. II. 8, 11. *gelida Divos mortê carentes* i. e. θεοὺς ἀθανάτους appellavit. Nam vis et horror, licet Diis non immineret, cum notione mortis in veterum animis ita erant coniuncta, ut eam nullo pacto vel in hac Deorum ῥεῖα ζώοντων

commemoratione omittere vellet poeta. Apud eundem Horatium Carm. I. 32. 7. *udum litus* et 34, 10. *vaga flumina* ornant orationem per oppositionem antecedentium seu sequentium vocabulorum, quare minime in numerum Epithetorum, quae falsa consuetudo loquendi ornantia dixit, ab interpretibus coniicienda erant. Quod ad v. *vagus* attinet, hoc in similibus locis ad motum aliquem perpetuum aut ad res alio alias tendentes referendum est. Prioris generis sunt *pontus vagus* apud Tibull. II. 3, 39. et *vaga aequora* ib. II. 6, 3. ubi vid. Dissenium, tum *vaga sidera* apud Stat. Theb. X. 360. Posterioris significationis vim Huschkius ad Tibull. III. 1. 4. (*vaga munera*) bene aperuit. Unde, ni fallor, suam explicationem accipit locus Statianus Theb. V. 494. *vaga litora furto Incomitata sequor.* Minus enim apte vetus Scholiasta *vaga litora* interpretatus est *ampla*, *spatiosa*, sunt potius varii litoris flexus et anfractus, alio alii tendentes, in quibus Hypsipyle, ne ab iis conspiciatur, (*furto*) errat, ut eo melius navis alicuius praetervehentis auxilium implorare queat. Poeta vel ipsam Hypsipylen vagam dicere potuit, sed recte duorum Adiectivorum iuxta positorum concursum vitavit et, quod poetae facere amant, rei inanimatae id tribuit, quod proprie homini ipsi tribuendum erat. Audacioris generis sunt apud eundem Statium in eiusdem libri v. 517. *misera silva.* 567. *pavidus lucus* IX. 300. *pabula crudelia.* 796. *turpis manus.* X. 57. *Sterilis manus.* Cfr. infra P. II. Cap. 3. §. 1. Multo insolentius quam Statius locutus est Claudianus in Eutrop. I. 264., ubi Eutropius sorori suae narrasse traditur:

> Defecisse *vagas* ad publica commoda vires:
> Cedere livori, nec sustentare procellas
> Invidiae, mergique fretis spumantibus orat.

Gesnerus quid *vagae vires* sibi velint fatetur se non satis intelligere easque deinde explicat vires, quae se facile impendunt et quasi dispergunt ubicunque, ad quaecunque negotia opus est: quid? si *defecisse* dicuntur *ad publica commoda*, ut nihil in posterum illa queant iuvare. Weberus in Corp. Poet. Latin. p. 1032. *vagas vires* per *fluxas aetate*, minus commode, e mea sententia, interpretatus est. Nam Gesnerum rectum vidisse puto et *vagas ad publ. comm. vires* significare eas institutiones, quibus Eutropius variis occasionibus, huc et illuc sibi oblatis, publicam salutem se adiuvisse gloriatur. Eas iam sibi deficere coram sorore questus est. Praepositio *ad* id exprimit, quod ad aliquam rem efficiendam instituitur aut alicui consilio inservit, ut apud eundem de rapt. Proserp. III. 386. *Qualis pestiferas animare ad crimina taxos Torva Minerva ruit* i. e.

accendere faces ad crimina intentanda. Vid. Hand. Tursellin. T. I. p. 114., Bach. ad Ovid. Metam. XII. 167.

VI. Ad idem genus Epithetorum absolutorum v. *divinus* est referendum apud Propert. I. 18, 28. s. *Pro quo divini fontes et frigida rupes Et datur inculto tramite dura quies.* Nam divinae naturae significatio convenit fontibus, qui una cum eorum Nymphis, quae vel ipsae deae appellari solitae sunt, docente Paldamo ad Propert. p. 270., cogitantur, neque discrepat ab imagine regionis vastae et incultae, in qua poeta suum dolorem querelis effundit, immo hac ipsa solitudine sancta Deorum praesentia eorumque nomen timendum apte describitur. Quare hic locus nullam mutandi occasionem praebet: vid. Kaestner. Animadv. in Propert. Spec. II. p. 6. Eadem primariae rei alicuius declaratio sine ulla ad locum ipsum relatione apparet e loco Ovid. Metam. XV. 31. *Et caput extulerat densissima sidereum Nox*, ubi Bachius contulit Horat. Carm. III. 29, 17. *Iam clarus occultum Andromedae pater ostendit ignem.* Add. ex eiusdem Ovidii Metam. II. 780. *Sed videt ingratos intabescitque videndo Successus hominum*, in quo v. *ingratus* modo ad Subiectum eiusque naturam referimus. Nam successus per se non ingrati aut molesti erant, sed Invidiae tantum displicebant. Cfr. Propert. III. 10, 25. *Dulciaque ingratos adimant convivia somnos* et Horat. Carm. I. 15, 3. *Nereus Ingrato celeres obruit otio Ventos*, quos locos Bachio debemus. In quibus et *somni* et *otium* res pro natura sua sunt gratae et acceptae, hic vero ingratae nominantur cum sola relatione ad subiectum eiusque conditionem, qualis tum erat aut qualis futura erat. Minime igitur opus erat coniectura Doeringii apud Propertium *ignavos* p. *ingratos* scribentis. Similiter in Virg. Aen. XII. 144. accipienda sunt verba Iunonis ad Iuturnam:

> Scis, ut te cunctis unam, quaecunque Latinae
> Magnanimi Iovis *ingratum* adscendere cubile,
> Praetulerim.

Cubile enim *ingratum* non est id, ut Paldamus ad Propert. p. XIV. voluit, pro quo nulla merces data est, sed quod nullam gratiam offert et idcirco ipsi pellici perniciosum. Hoc optime Iunonis menti convenit, quippe quae de malo adulterii exitu gaudet ideoque Iovis cum Iuturna consuetudinem, qua haec primum se cohonestatam senserat, *ingratam* appellat, qualis re vera iam illo tempore erat. De aliis locis, in quibus v. *ingratus* male acceptum erat, Paldamus l. c. disputavit, sed locum Virgil. Eclog. I. 35. *Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi* rectius a Spohnio et Wagnero explanatum puto,

Scilicet Tityrus comica morositate urbem dicit ingratam, quae ipsi non tantum dedit, quantum accipere videbatur et quanto opus erat ad Galateae ornatum emendum. Paldamus contra interpretatur: urbs negligens accepta et mox consumens et idcirco semper nova poscens. Add. Valer. Flacc. I. 446. *Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.* Arcus ita appellatur, quia Apollini haec caedes nullam utilitatem vel fructum attulit, immo calamitatem et exilium. Itaque non opus est Broukhusii correctione ad Tibull. II. 3, 17. *irato.* Idem vocabulum habemus a Statio in loco Theb. V. 672. s., qui mirae est brevitatis, ita positum:

> Anne ducem servatricemque cohortis
> Inachiae, *ingratis* coram tot millibus, audes
> Mactare in tumulos?

Tydeus significans se aliosque socios praesentes per mactationem Hypsipyles, quam Lycurgus postulabat, impeditos fore, quo minus illi debitas gratias praestarent, id, quod timebant, quasi anticipat et se cum ceteris *ingratos* appellat, quales in tempore praesenti nondum esse poterant. Habet hic usus vocabuli aliquam cum prolepsi cognationem, de qua infra dicetur.

Caput tertium.

De Epithetis a coloribus petitis.

Ut in illis Epithetis, quae supra illustravimus, ita in Epithetis, quae veteres poetae a coloribus sumserunt, non una et constans ratio fuisse videtur. Nam et horum nonnulla absolute neque cum relatione ad eum locum, in quo leguntur, accipienda sunt, ut *atra tigris*, *cani lupi*, *purpureus pudor*, *viridis fumus*, *nigri fontes*, *nigra myrtus*, *atri ignes*, *purpureae vites al.* In talibus ne quis existimet, poetas veteres, naturae atque rerum naturalium acerrimos imitatores, omnia fere turbasse et confudisse, tenendum est, eos vocabula colorum generalia longe potiora habuisse nominibus singularibus. Itaque in rebus laetis quum maxime laetitiae atque splendoris notionem, in rebus tristibus tristitiae atque horroris significationem per verba sua assequi studebant mentesque eorum, qui carmina legebant et audiebant, modo suavitate aliqua imbuere, modo horrore quodam percellere solebant. Quod quam feliciter ipsi praestiterint, notissimum est. Sed quum haec depingendi ratio a nostrorum poetarum ratione, quae in talibus paullo accuratior et diligentior esse videtur, maxime discrepet, non mirum est,

quod talia Epitheta saepe non solum tironibus molestias creaverint, sed a peritioribus quoque lectoribus parum recte sint intellecta [14]).

§. 1.

Incipiamus a v. *purpureus*. Habet quidem hoc Epitheton maximam vim in mari depingendo rebusque maritimis splendide decorandis, in quam rem iam dudum allatus est locus Ciceronis Academ. Quaest. II. 33, 105. *Mare illud, quod Favonio nascente purpureum videtur, idem huic nostro videbitur, nec tamen assentietur: quia nobismet ipsis modo caeruleum videbatur, mane ravum* (perperam Ernestius *flavum* coniecit), *quodque mare, qua a sole collucet, albescit et vibrat dissimileque est proximo ei continenti.* Add. Fragment. ex Academ. prior. apud Nonium s. v. *purpurascit* p. 162. *Quid? mare mane caeruleum? at eius unda, quum est pulsa remis, purpurascit* (cfr. Weichert. Poetar. Latin. Reliqq. p. 350.) *et quidem aquae* (al. *aqua*) *tinctum quodammodo et infectum.* Comp. Aristotel. de colorib. cap. 2. et qui in utroque loco illustrando operam suam posuerunt, Gesner. ad Claudian. Rapt. Proserp. II. 3., Mitscherlich. ad Catull. Epithal. Thetid. V. 271., Voss. ad Virgil. Georg. IV. 351 — 373. T. II. p. 855. s., intpp. ad Hom. Il. I. 482. et Nitzsch. Annotat. in Odyss. II. 428. T. I. p. 124 [15]).

---

[14]) Vid. Goethius in praeclaro ingenii sui et indefessae industriae monumento: *Zur Farbenlehre* (Opp. Omn. Vol. LIII. p. 61.): „*Aus der Betrachtung des griechischen und römischen Sprachgebrauches ergiebt sich, dafs die Alten generelle Benennungen der Farben statt der speciellen und umgekehrt diese statt iener setzten. Ihre Farbenbenennungen sind nicht fix und genau bestimmt, sondern beweglich und schwankend, indem sie nach beiden Seiten auch von angrenzenden Farben gebraucht werden. Ihr Gelbes neigt sich einerseits in's Rothe, andrerseits in's Blaue; das Blaue theils in's Grüne, theils in's Rothe; das Rothe bald in's Gelbe, bald in's Blaue; der Purpur schwebt auf der Grenze zwischen Roth und Blau und neigt sich bald zum Scharlach bald zum Violetten. Indem die Alten auf diese Weise die Farbe als ein nicht nur an sich Bewegliches und Flüchtiges ansehen, sondern auch ein Vorgefühl der Steigerung und des Rückganges haben; so bedienten sie sich, wenn sie von den Farben reden, auch solcher Ausdrücke, welche diese Anschauung andeuten. Sie lassen das Gelb rötheln, weil es in seiner Steigerung zum Rothen führt, oder das Roth gelbeln, indem es sich oft zu diesem seinem Ursprunge zurückneigt.*“ Add. Mülleri Archäolog. Art. Vet. §. 319. p. 431 seq. ed. sec.

[15]) Adiicimus explicationis causa Boettigeri verba e libro Eberti:

In tali disquisitione ad id maxime attendendum est, diversum illum splendorem colorumque permutantium speciem ex reflexu radiorum solis oriri seu *μετακοσμεῖσθαι πρὸς τὸ φῶς*, quae sunt Luciani verba de domo 10. (coll. Iacobs. ad Philostrat. p. 265), et ob hanc causam diversis significari vocabulis. Sicut igitur maris splendor non unus est et simplex, ita v. *purpureus* non certum aliquem splendorem, niveum, roseum, nigricantem, albicantem, viridantem, indicat, sed talem, qualis in summo coeli nitore, nubibus omnibus remotis et sole laetissima cum luce sua omnia collustrante [16]), apparet atque totam na-

---

Überlieferungen zur Geschichte, Literatur und Kunst, Vol. II. P. I. p. 152. „*Mir war dieser Blick auf die See exegetisch viel werth, da ich hier recht deutlich sah, wie das eisengraue (ferrugineus, vitreus, glaucus, hyalinus) erst in's Dunkle, mitunter auch ins Violettblaue, und weiter hinaus in's schönste Himmelblau oder Lazur hinüberschillerte, und so nun völlig verstand, warum κυάνεος und caeruleus, die beiden gewöhnlichen Beiwörter der Griechen und Römer vom Meere, so vieldeutig und vielbezeichnend sind. Man mufs durchaus diesen Farbenspiegel einmal gesehen haben, um nicht irre zu werden.*“ Cfr. Goethius l. c. p. 64. „*Im gemeinen, wie im poetischen Sprachgebrauche finden wir herauf und hinabwärts öfter ein Genus für das andre gesetzt.*“ et p. 65: „*das purpureum, πορφυροῦν, geht vom Rosenrothen an durch's Blut- und Braunrothe bis in's Blaurothe ἁλουργὲς und ins Violette über.*“ Add. Niebuhr. Histor. Roman. T. III. p. 290 not.; in quo loco vir summus docuit verum purpurae colorem apud Romanos antiquo tempore fuisse varium, versicolorem (*dunkelviolett*), cuius in locum deinde Romae et Constantinopoli color coccinus successisset. In universum Goethius hunc colorum ordinem constituit: *ὠχρόν, ξανθόν, πυῤῥόν, ἐρυθρόν, φοινικοῦν* et ultimo loco *πορφυροῦν*. Aliam interpretandi viam G. H. Bodius in Ephemer. lit. Gotting. a. 1836. scid. 2. ingressus est. Hic vir doctus mare ab Homero *πορφύρεον* dictum esse vult ob igneum illum maris fulgorem, qui originem suam a scintillis electricae materiei habet et mari mediterraneo in primis proprius est, cfr. Odyss. II. 427. et XIII. 84. Unde idem statuit hoc vocabulum in numerum perpetuorum maris Epithetorum transiisse, ut Il. I. 482. XVI. 391. Eurip. Troad. 124. al., atque Romanorum poetarum locos, ut Valer. Flacc. III. 422. et Propert. II. 20, 5. simili modo e fulgore illo marino explicandos esse. Neque tamen dissimulandum est, iam ante Bodium eadem observata esse a Gesnero ad Claudian. de Rapt. Proserp. II. 3., qui illud phaenomenon: *errantes ludunt per caerula flammae*, causam esse putat, cur veteres mare dixerint *purpureum*.

[16]) *Χαίρει*, quae sunt Pollucis verba I. 49. *ἡλίῳ ὁμιλοῦσα τῆς*

turam novo lumine quasi vestire videtur. Itaque, ut Heynius recte vidit ad Georgic. IV. 373., *purpureus* non semper ad colorem refertur, sed etiam ad splendorem ac nitorem perpetuum, ut sit positum pro: *fulgens*, *nitens*. Idem statuit Wolf. in lectionib. de Homer., quas Usterius edidit, T. I. p. 161. cfr. C. G. Lucas de Minerv. Glaucop. (Bonn. 1831.) p. 12. Hinc explicantur *ver purpureum* [17]) in Eclog. IX. 40. et apud Tibull. III. 5, 4. *flores purpurei* in Aen. V. 79. VI. 885. Georgic. IV. 84. cfr. Ovid. Fast. V. 663., in quibus locis non de certo colorum genere est cogitandum, quod iam Silii Italic. imitatio docet, qui in simili loco Punic. XVI. 130. flores dixit *odoriferos*. Ita Claudianus de Nupt. Honor. et Mar. 298. flores, quibus dux a militibus cumulatur, *nimbum* appellavit *purpureum*. Tum *purpurei orbes* apud Valer. Flacc. III. 179. et apud eundem v. 422. *purpureum sal*, quod Maserius et Burmannus recte de marina aqua, per noctem splendente, intellexerunt, quod observatione Bodii l. c. firmatur, ut *purpurea nix* apud Albinovan. Eleg. II. 62. de nive candidissima et oculorum aciem praestringente, et *purpureus olor* apud Horat. Carm. IV. 1, 10., *purpureum lumen* Virg. Aen. VI. 640. (quod *φῶς κάλλιστον* dicitur ab Aristophane Ran. 155.), *purpureae vites* apud Ovidium Metam. VIII. 93., *purpurei colles* Hymetti Art. Am. III. 687 [18]), *purpureus pudor* Amor. I. 3, 14., *purpurea lux* Fast. VI. 252. Neque aliter Augusti os ab Horatio Carm. III. 3, 12. appellatur *purpureum*, quo florida iuventutis gratia et pulchritudo divina declaratur, ut in Aen. I. 590. *lumen iuventae purpureum* et apud Statium Theb. III. 440. *Aurora — purpureo vehit ore diem.* Hos locos interpretes ad locum Horatianum iamdudum excitaverant. Add. Pind. Olymp. VI. 89. de Iamo: *ἀλλ' ἐγκέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ βατίᾳ τ' ἐν ἀπειράτῳ, ἰὼν ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος.* Quae verba ad tincturam, non ad rorem, ut Scholiasta voluit, referenda sunt. Purpurei enim flores, sub quibus cubabat puer, ipsi splendidiorem colorem conciliabant. Cfr. Ovid. Metam. X. 596. *Quum*

πορφύρας ἡ βαφή· καὶ ἡ ἀκτὶς αὐτὴν ἀναπυρσεύει καὶ πλείω ποιεῖ καὶ φαιδροτέραν τὴν αὐγήν. Cfr. Iacobs. ad Philostrat. p. 378.

[17]) Similiter Kleistius noster:

Auf rosefarbnem Gewölk mit iungen Blumen umgürtet,
Sank iüngst der Frühling vom Himmel.

[18]) „*Der Hymettos ist stolz auf seinen zauberartigen Purpurduft, der sich Abends kurz vor Sonnenuntergang über seine Abhänge breitet.*“ Verba sunt Ludov. Rossii in Diurnis Artium, quae Schornio edente prodeunt a. 1837. part. 2.

super atria velum Candida purpureum similem dat et inficit umbram, quae verba Bachius recte de umbra rubicunda, quae priorem atriorem colorem mutat, explicuit. Sed in loco Claudiani de laudib. Stilich. II. 353. *cervi purpurei* in opere acu picto ad colorem filorum vestis simpliciter referuntur. Verba sunt haec de Eucherio, puero adultiore: *iaculisque vel arcu Aurea purpureos tollentes cornua cervos Aureus ipse ferit*, ad quae Gesnerus optime haec annotavit: hic puto *aurea* et *purpureos* respicere ad corruptum iam illius saeculi de artibus iudicium, quum non modo picturas in veste circumferre, sed coloribus etiam naturae repugnantibus constantes, pulchrum esset. Ceterum vid. Torrentium et Lambinum ad Horat. Carm. IV. 1, 10. et Burmann. ad Anthol. Latin. T. I. p. 267.

§. 2.

Venimus ad vocabula *ater* et *niger*. Ac primum quidem dicendum est, v. *atèr* opponi v. *albus* et v. *niger* opponi v. *candidus:* cfr. Doederlin. Synon. Lat. T. III. p. 194. Significatur enim per utrumque vocabulum ea rei alicuius conditio, quae aut certo cuidam colori est plane contraria et, dum alios colores omnino inducit et delet, rei ipsi praebet speciem, a naturali diversam, interdum tetram vel foedam, iniucundam, tristem et diram, aut quae obscurissima est omnium colorum, ita ut singula nullo pacto discerni possint. Ad priorem significationem exprimendam v. *ater*, ad posteriorem v. *niger* veteribus aptius visum est. Itaque per v. *niger* res per se oculis non ingrata, immo pulchra, significari potest, sed per v. *ater* res dira, quae nos moerore et tristitia implet. Ut a simplicissimis ordiamur, sanguis mortuorum appellatur *ater* in Aen. III. 622. et Georg. III. 221., unde Valerius Flaccus V. 177. sanguinem vulturis ab Hercule confixi *imbres atros* paullo audacius et ultra fidem appellavit. Porro Eridanus est *ater* stragibus apud Silium Italic. VI. 107., ubi vid. Drakenborch. et ad XX. 365. tum vulnus in Aen. IX. 700., lumina effossa et sanguine manantia apud Sil. Italic. IX. 399., et ipsum bellum in eodem carmine III. 212. Deinde in re dira et perniciosa ponitur v. *ater* de veneno, ut Georg. II. 130. Sil. Ital. III. 312. Stat. Theb. I. 565. coll. Lennep. ad Ovid. Her. IX. 115., unde ad ipsos serpentes transfertur, ut Georg. I. 129., quod Heynius non interpretari debebat de serpentibus atri coloris. Rectiora Iacobs. in Anthol. Lat. Poet. T. II. p. 382. et Wagner. ad h. l. dederunt. Cfr. Bentlei. ad Horat. Sat. II. 8, 94. [19]).

[19]) Expressit vim voc. *ater* Schillerus in carmine: *Der Kampf mit dem Drachen*, de dracone haec dicens:

Eadem horroris et diritatis notio apparet e Georg. IV. 407., in quo loco *atra tigris* vel Heynio molestias creavit. Est enim non solum tigris saeva, ut Servius voluit, sed etiam terribilis adspectu, qua mentes hominum terrore percelluntur, fere ut *atra piscis* [20]) in Horat. Art. Poet. V. 3., quae verba Gronovius Observ. I. 18. et Nic. Heinsius in codicis sui margine sine idonea causa in *atra pristis* mutaverant, *atra* serpentis pellis apud Ovid. Metam. III. 63., *atra* ingluvies i. e. funesta, exitiosa in Georg. III. 430. et *atra* seges in Aen. VII. 525. In posteriore loco Epitheton ad oculorum sensum quam maxime refertur, sub quos enses per agrum stricti et aes coruscans cadebant, ut *atrum* nemus in Aen. I. 165., in quo loco notio vastitatis et regionis solitariae per v. *ater* praecipue expressa esse videtur. Neque abest gravior illa vis a loco in Aeneid. IV. 384. *Sequar atris ignibus absens* i. e. fumidis, quales sunt a rogo accenso, ut pluribus e locis Wagnerus demonstravit, e quibus vid. inprimis Ovid. Fast. II. 561. *Conde tuas, Hymenaee, faces et ab ignibus atris Aufer: habent alias moesta sepulchra faces.* Ceterum bene Wunderlichius ad locum Virgilianum: „imagine demta, sensus est: tum mala te conscientia torquebit. Quam sententiam more antiquitatis enuntiavit, quae a laesis illos, qui iniuriam attulerunt, vexari finxit. Illam vero notionem *vexari* ornavit metaphora a Furiis petita, quae, persequentes, ultrices, *facibus* armantur.“ Cfr. Boettigeri librum: *die Furienmaske* p. 49. not. Itaque Furiae terribiles erant non solum ob potentiam suam, sed etiam foedae ob adspectum, a quibus innocentes suos oculos avertere solebant.

§. 3.

Haec Furiarum commemoratio ad illam v. *ater* significationem ducit, quae locis inferis et omnibus apud inferos rebus propria est. Cfr. Boettiger. l. c. p. 25 seq. Cuius appellationis causa primaria ex illa Orci natura petenda est, quam obscuram, nubibus cinctam neque ulla luce collustratam veteres sibi fingebant, quum contra campi Elysii largiorem haberent aethera et lumine purpureo essent vestiti (Aen. VI, 640. Valer. Flacc. I, 844. et Dissen. ad Pindar. Olymp. II. 61. p. 35). Itaque ille locus ἀνήλιος a Graecis solis lucisque avidissimis, non sine horrore aliquo appellari poterat. Hinc Anyte in Epigr. 19. Anthol. Graec. T. I. p. 134 ed. pr. χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ'

Und alles bild' ich nach genau
Und kleid' es in ein scheufslich Grau.

[20]) Sic apud eundem Schillerum in carmine: *Der Taucher:*
Des Hammers gräuliche Ungestalt.

Ἀχέροντος ἶβα: cfr. Catull. 21, 6. Et simili sensu *atra* Sisyphi silex commemoratur in Aen. VI. 602., *atrae* Cerberi aures ab Horatio Carm. II. 13, 34, *atra* Phlegethontis incendia in loco Statii Theb. IV. 523, magni ardoris pleno, *ater* Timor in Aen. IX. 719, nam hic quoque e locis inferis in lucem processisse putabatur, *atra* cupressus, III. 64, tum apud Horatium I. 24, 18 *niger* grex et IV. 12, 26 *nigri* ignes de eadem re leguntur, in quibus maior coloris quam ipsius rei foeditatis ratio habita est, ut apud Valer. Flacc. IV, 260. *summi nigrescunt culmina montis* i. e. a multitudine Manium, quos Pluto ad pugnam spectandam e regno suo emisit.

Idem vocabulum *ater* a rebus, quae per adspectum suum tristitiam movent et terrorem, ad homines tristes et moestos transfertur. Vid. Aen. VIII, 219. *Hic vero Alcidae furiis exarserat atro Felle dolor* i. e. in moesto corde. Stat. Theb. XI, 170. *si atra parens moestaeque sorores In media arma cadant*, in quibus v. *ater* sive de moestitia matris Iocastae sive de lugubri vestimento (ut Graecorum v. κυανόπεπλος exprimatur) accipere licet. Similiter positum est idem vocabulum in eiusdem carminis libro IV, v. 721. 722. *Quum tristem Hypsipylen ducibus sudatus Achaeis Ludus et atra sacrum recolit trieteris Ophelten*, in q. l. voc. *ater* aut ad ludos per trium annorum spatium magna cum moestitia repetitos aut ad homines per hos dies atris vestimentis indutos referri potest. Add. Valer. Flacc. II, 205. *atraeque* (al. *hirtaeque*) *genis pallentibus irae* i. e. molestae irae, quales statim e genis pallentibus cernuntur. Similiter Homerus Il. I, 103 μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι Πίμπλαντ' ut XVII. 83 et Odyss. IV, 661. Ita in picturis certae res sunt nigri coloris ob mala atque nefaria consilia, quae homines agitabant, exitumque eorum infaustum. Appellantur Oenomai equi μέλανες a Philostrato I, 17, quippe qui ἐπ' ἀτόποις καὶ οὐκ εὐφήμοις ἐζεύγνυντο, contra Pelopis equi sunt candidi. Vid. I, 27. et Iacobs. ad pr. loc. p. 312, et Arion, Adrasti regis equus, κυανοχαίτης non sine aliqua leti et calamitatis significatione appellatur in Thebaid. Cycl. Reliq. (p. 64. ed. Leutsch.) ex Pausan. VIII. 25, 8. ἐν δὲ γῇ Θηβαΐδι, ὡς Ἄδραστος ἔφευγεν ἐκ Θηβῶν

εἵματα λυγρὰ φέρων σὺν Ἀρείονι κυανοχαίτῃ,

ubi non temere, C. F. Hermanno de sacris Coloni p. 22 observante, etiam Adrasto vestimenta lugubria tribuuntur, quibus colorem cyaneum proprium fuisse videmus ex Hom. H. in Cerer. v. 42. Cfr. Welcker. ad Theogn. Carm. 913 p. 123. Paldamus ad Propert. p. 241.

§. 4.

In fine de loco quodam dicendum est, quem iam Servius in numerum eorum, quibus Virgilius paullo insolentius est locutus, retulit. Scilicet in Aen. V. 2 haec leguntur:

Interea medium Aeneas iam classe tenebat
Certus iter fluctusque *atros* aquilone secabat.

Ad haec ita Servius: *atros* secundum Plinium dixit, qui ait in naturali historia, non esse maris certum colorem, sed pro qualitate ventorum mutari et aut flavum esse aut luculentum [21]) aut atrum. Sed apud Plinium, qualem nos habemus, neque haec verba leguntur, neque, si Plinius illa scripsisset, ad physicorum disquisitiones de maris colore [22]) confugiendum esse videtur. Nam *atri* fluctus sunt, ut paullo supra diximus, qui nullum fere habent colorem, unde hanc explicandi rationem nocte iam ingruente et tenebris circum auctis (vid. Heynium ad h. l.) verisimillimam esse puto. Tum Virgilius eodem iure fluctus purpureos vel caeruleos dicere potuit, quum tenebrae impedirent, quo minus omnia bene et recte perspicerentur [23]). Paucis versibus interpositis leguntur: *Mutati transversa fremunt et vespere ab atro Consurgunt venti.* Sed p. *atro* exstat in Medic. a manu sec. et in nonnullis aliis libris *ab alto* (quae vocabula saepius in libris permutantur: vid. Hand. ad Stat. Silv. l. 2, 149. p. 273), quod significat: ab occidentali plaga coeli. Verum nunquam apud Virgilium venti a coelo aut ab aethere missi dicuntur. Itaque Wagnero non dubium esse videtur, poetam vv. *vespere atro* Homericum ζόφος ἠερόεις exprimere voluisse. Comparari possunt plures loci Homerici, ut, qui potissimum huc facit, Iliad. VII, 63, 5: *Οἵη δὲ Ζεφύροιο ἐχεύατο πόντος ἐπ' αὐτῆς*, tum Odyss. IX, 144 *Ἀὴρ γὰρ παρὰ νηυσὶ βαθεῖ' ἦν, οὐδὲ Σελήνη Οὐρανόθεν προὔφαινε· κατείχετο δὲ νεφέεσσι*, i. e. *in nubem cogitur aer*, ut Virgilius dixit Aen. libr. V, v. 20. Add. Odyss. XII, 314, 5.

---

21) Interpretes Servii p. *luculentus* probant *lutulentus*. Sed Servius neque sordes vel squalorum maris h. v. indicare voluit, sed colorem maris pellucidum, solis radiis illuminatum et hos ipsos radios repercutientem, qualis opponitur atrae maris faciei, quae meram significat nigritudinem. Itaque v. *luculentum* aptius iudico: de quo vid. Doederlin. Synonym. Lat. T. II. p. 84.

22) Vid. praeter ea in superioribus laudata Uckerti librum: *Alte Geographie der Griechen und Römer. Vol. II. p. I. p.* 26.

23) Similiter Schillerus in carmine: *Der Taucher:*

Denn unter mir lag's noch Berge tief
In purpurner Finsterniſs da.

§. 5.

Quod ad v. *niger* attinet, iam supra dixi, hoc vocabulum non tam diritatem et foeditatem rei alicuius significare, sed contra ad vacuitatem coloris alicuius splendidi referri, unde haud raro in pulchritudine describenda eodem vocabulo veteres usi sunt. Prioris generis sunt Virgil. Ecl. II. 16. *Quamvis ille niger*, *quamvis tu candidus esses*, in quibus Menalcas v. *niger* indicatur ut fuscatus a solis radiis et ab usitato popularium colore diversus: cfr. Ovid. Metam. XI. 312., tum Aen. VIII. 354. *Aegis nigrans* i. e. coelum per nubes inductas nigrum et dirum faciens, quod e seqq. elucet: *dextra nimbosque cieret*, ut Sil. Ital. IX., 348. *Non nox errorem nigranti condidit umbra.* XII. 122. *Tum tristi nemore atque umbris nigrantibus horrens — letale vomebat — virus* i. e. Avernus. Neque alia ratione a Statio Silv. IV. 4, 62. Thule appellatur *nigra*, ut insula remotissima, ἀνήλιος, in mari ignoto atque terribili sita, cui loco comparamus ex eiusdem poetae Theb. I. 686. *Oceanus niger occasibus* et v. 705. *niger imbribus Auster*, quibus statim subiunguntur verba: *pulsa dies regnantque hiemes.* Maior est foeditatis notio in verbis Theb. X. 26., in quibus Amphiaraus ab Eteocle *niger augur* dicitur, ratione dirae, qua ille interiit, mortis habita. Et eadem de causa Terrae atque Diis inferis animalia *nigra*, *obscura* immolantur, ut Theb. VIII. 339., ad q. l. Barthius Catull. Epithal. Pel. et Thetid. V. 227. atque Martial. XI. 104., 7. addnxit, et ipse Plutoni *nigra* tribuitur *maiestas* a Claudian. Rapt. Proserp. I. 80. Add. Aen. III. 120., Hom. Odyss. III. 6. et ad h. l. Nitzschium Annotat. T. I. p. 126.

Quae horroris significatio expressa est in verbis Lucani Pharsal. III. 411. *tum plurima nigris fontibus unda cadit*, in descriptione luci obscuri et maxima cum religione ab incolis culti. Existimandum enim est, undam tanto impetu in locum declivem et profundum sese proiecisse, ut qui in loco superiore stabant colorem eius genuinum vix discernere valerent [14]).

[14]) Illustrantur tales fontium descriptiones ea potissimum Stygii fontis descriptione, quam Leakius, Anglus, dedit in libro suo: *Travels in the Morea*, Londini a. 1830 edito. Illius fontis naturam, Leakio (cap. 26.) iudice, nullus veterum accommodatius depinxit, quam Hesiodus in Theogon. 785 et 805. Ruit enim prope Nonacrin Arcadiae Styx de scopulo altissimo praeceps in voraginem, ad quam nullus est aditus tantaque illius aquae inter accolas loci foeditas, ut haec cataracta vel hodie Draconeria aut Mauroneria (i. e. aqua atra et horrida) appelletur. Cfr. Böttigeri librum: *Ideen zur Kunst-Mytho-*

Sic apud Claudian. Laud. Stilich. II. 194. *nigra rubigo* eadem est quae *obscura rubigo.* Et haec quidem de priore genere. Pulchritudinis vero notionem, quam in hoc saepius inesse supra indicavimus, invenimus in Aen. IX. 301. *ilex nigra* VIII. 559. *abies nigra* (cuius quidem folia sunt viridis coloris, in nigrum vergentis, unde amoena locorum, in quibus hae arbores crescunt, fit imago et umbrae, qua recreamur, beatissimae notio additur), apud Horat. Carm. I. 21, 7. *nigrae* Erymanthi silvae IV. 4, 58. ilex in Algido *nigrae* frondis [25]) 12, 12. *nigri* Arcadiae colles et *nigra* frondosi roboris umbra apud Sil. Stalic. V. 484. Eodem modo hoc Epitheton accipiendum est in Ovid. Art. Am. III. 690. *Ros maris et lauri nigraque myrtus olent*, cum quo apte congruit Horat. Carm. I. 25, 17. „*pubes hedera virenti Gaudeat pulla magis atque myrto.* Est enim myrtus viridis et subnigra, quales sunt in Italia frequentissimae [26]), neque de *μελαίναις μυρσίναις*, proprio quodam myrtorum genere (vid. Plin. XV. 37.), hic locus intelligendus est. In his igitur omnibus maxima amoenitatis ratio a poetis habita est. Eandem Virgilius in Memnonis, hominis pulchri, descriptione habuit, hunc *nigrum* appellans Aen. I. 489, quem Homerus in Odyss. XI. 521. pulcherrimum inter omnes viros, quos Ulysses in bello Troiano viderat, fuisse testatur. Ad q. l. Eustathius p. 1697. et p. 1409. eum ut filium matris splendidissimae *ἡλιώδη τὴν θέαν* fuisse annotavit. Locum Virgilianum optime Philostratus Imag. I. 7. p. 773. Ol. (p. 14. Iac.) illustravit. *οὐδ᾽ ἂν μέλανα* (i. e. non pure nigrum) *φαίης τὸν Μέμνονα. τὸ γὰρ ἀκράτως ἐν αὐτῷ μέλαν ὑποφαίνει τι ἄνθους*, ubi vid. Iacobs. p. 249. p. 440. et in Commentatione de Memnoniis in Operib. Acad. Monacensis a. 1810. p. 14. not. 25. (Script. Miscell. T. IV. p. 71. s.). Ita Statius Theb. VIII. 238. Bacchum triumphi *nigri* vexilla ostendentem induxit, itinere eius per *domos Coas* in eodem versu commemorato, et Claudianus Porum dixit *nigrum* ut Indum Consul. Mall. Theo-

---

logie T. II. p. 130. Talia ab itinerariorum scriptoribus passim observata sunt, ut a Mercio (Mercey), qui in itinere suo per Italiam et Tyroliam facto (T. I. 102) lacus Pasclave in terra Veltelieusi fluctus nigros et a nullo vento motos descripsit. Similiter Sommerus (*Taschenbuch zur Verbreitung geographischer Kenntnisse* 1833. *S.* 252) fluvium Sibiriae meridionalis ob aquam atram ab illa gente Karussa (i. e. aqua nigra) vocari tradidit.

[25]) Cfr. Sprengelii Antiquit. Botan. Spec. I. c. 11. p. 39.

[26]) „Niedrige graulichgrüne Myrten," ut Goethii verbis utamur in Itiner. Italic. T. XXIII. (Opp. Omn.) p. 10.

dor. 32. ad q. l. vid. Gesner., et eundem in Consul. Prob. et Olybr. 170. Porro ad pulchrum adspectum et egregiam oris formam referuntur *nigri* capilli et *nigri* oculi in Horat. Carm. I. 32, 11., Epp. I. 7, 26., de art. poet. 37. Plaut. Curcul. I. 3, 35., quibus tum albescens, tum canus capillus opponi solet.

§. 6.

Proxime cum vv. *ater* et *niger* coniunctum est v. *caeruleus*. Res caerulei coloris apud poetas Latinos duplici dicuntur significatione, nam color est aut dilutus, ad album accedens, quem Graeci *χλωρὸν* appellant, ut apud Propert. IV. 2, 43. *caeruleus cucumis*, aut viridis ad fuscum vel atrum accedens. Vid. Aen. III. 63. *caeruleae vittae*, quae e Servii explicatione et ob verba sequentia: *atra cupressus*, sunt coloris nigri; v. 10. *caeruleus imber* de coeli colore ad atrum maxime accedente, ubi tempestas ingruit, unde recte Turnebus per v. *ater* interpretatus est. VI. 410. *caerulea puppis*, quae v. 303. appellata erat *cymba ferruginea*. Cfr. Aen. VIII. 622. IX. 582. et Voss. ad Georgic. I. 466. T. III. p. 189. Add. Valer. Flacc. III. 400. *domus caeruleo tenebrosa situ*, cuius color verus et naturalis dignosci nequit, et Cir. 214. *caeruleae umbrae* (cfr. Sillig. ad h. l. et Heyn. ad v. 214, ut Hom. Il. I. 528. *ὀφρῦς κυάνεαι.* Odyss. XII. 243. *ὑπένερθε δὲ γαῖα φάνεσκε κυανέη*), et, quod maxime huc facit, Orci Epitheton *κυανοχαίτης* ex Hym. in Cerer. 348., cui Vossius apte contulit Eurip. Alc. 440. *Ἀΐδας ὁ μελαγχαίτας κ. τ. λ.*) Porro videatur Ovid. Metam. VI. 158. de Tmolo: *quercu coma caerula tantum Cingitur*, cui locum ex hymno Hom. in Bacch. VII. 5. apponimus: *καλαὶ δὲ περισσείοντες ἔθειραι κυάνεαι.* Cfr. Boettigeri librum: *Vasengemälde* Vol. I. P. 2. p. 79. et Wüstemann ad Euripid. Alcest. 270. Propter tales locos Weberus in Observat. ad Iuvenal. p. 182. verba huius poetae e Satir. XIV. 128. *neque enim omnia sustinet unquam Mucida caerulei panis consumere frusta*, de pane vili et nigro recte interpretatus est. Sed in alio loco Satir. II. 95. vocabula *Caerulea indutus* idem favorem hominum prasinatorum apud populum atque nimium coloris viridis amorem apud Romanos illius temporis recte intellexit. Ergo de utroque colore v. *caeruleus* dici potest. Caerulum, quae est Serviana glossa ad. Aen. VII. 198, est viride cum nigro, ut est mare. Itaque Stat. Theb. VI. 535. (al. 542.) de Leandro per Hellespontum natante, dicens: *Phryxei natat hic contemtor ephebus Aequoris et picta translucet caerulus unda* huius vocabuli vim aptissime declaravit. Idem vocabulum in ornatu pulcherrimae Deae marinae, id est Thetidos, quae frenato pisce insidet, describendo legitur apud Tibull. I. 5, 46.

et apud eundem I. 7, 14., in quo ad purum colorem fluvii Vossius et Dissenius referre sibi visi sunt, obnitente Huschkio, tum *caerulus amnis* apud Stat. Silv. I. 5, 51. *caerulus lacus* apud Claudian. Idyll. 6, 28. et *amnis caeruleus* de Oceano apud Tibull. III. 4, 18. ad q. l. praeclara est Dissenii annotatio, qui inter alia comparavit Ovid. Metam. I. 275. ubi coelo Iovis pluviisque coeli opponitur *caeruleus* frater Neptunus. Add. Voss. Epist. Mythol. T. II. p. 203 — 210. De eadem re invenitur apud Lucian. de dom. 10. et Alciphr. III. 1. vocabulum *κυαναυγὴς*, quorum prioris verba sunt haec: *τὰς βολὰς τῶν ὀφθαλμῶν ἐστι κυαναυγής, οἷος τὸ πρῶτον* (*τὸ πρώιον*, matutino tempore, coniecit Iacobs. ad Achill. Tat. p. 401.) *ὑπὸ τῶν ἀκτίνων τῶν ἡλιακῶν ὁ πόντος καταλαμπόμενος φαίνεται.* Fluctibus vehementius insurgentibus aqua fit purpurea, sed in alto habet colorem viridem, thalassinum: vid. Hand. ad Stat. Silv. I. 2, 149. p. 273. [27]).

§. 7.

Commemoratione viriditatis iniecta hoc Epitheton, quod vel diversissimis rebus tribui videtur, paucis explicemus. Scilicet ea, quae viridia dicuntur, sunt laeta, vernantia, et eum rei alicuius statum indicant, qui naturalem habet vigorem eumque aliis conspiciendum offert. Neque ipsius viriditatis color semper in talibus locis nominatur. Est tamen praeclara illius vis in descriptionibus geographicis, ut Aen. III. 125. *viridis Donusa*, quare Heynius de terra silvis et herbis plena, qualem sese navigantibus offerre solebat, interpretatus est, tum Georg. IV. 291. *Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena.* Iussit quidem Wagnerus h. v. ut alienum ab hoc loco eo remigrare, unde irrepsit, idque non a Virgillo profectum, sed ab aliquo, cui carmina Virgilii deperdita ad manum erant, margini adscriptum esse censet. Sed Epitheton *viridis* apte delectum esse puto, cuius sensum Vossius melius quam Bryantus, iniustus hu-

---

27) Verba Goethii p. 65 iterum apponamus: „*κυάνεον geht vom Himmelblauen bis ins Dunkelblaue und Schwarzblaue, Violette und Violetpurpurne. Ebenso caeruleum, das sogar ins Dunkelgrüne und Blaugrüne, γλαυκὸν, wie in das Katzengrüne, caesium, übergeht. Darunter fallen ἀέριον, ἀεροειδές, aerium, coelinum, οὐρανοειδές, ὑακίνθιον, ferrugineum, οἰνωπόν, ἀμεθύστινον, thalassineum, vitreum, venetum, glaucum, das aus dem Blaugrünen und Katzengrünen ins bloſse Graue übergeht und noch das χαροπὸν und ravum unter sich begreift.*“ Cfr. de caeruleo vitro Gmelin. in Comment. Soc. Reg. Gotting. T. II. p. 41—64. T. IV. p. 22.

ius verbi vituperator, assecutus est [28]). Similiter leguntur apud Stat. Theb. II. 25. *viridis terrae*, Valer. Flacc. VI. 50. *viridis Myrace*, VIII. 293. *viridis Peuce* et alia. Paullo insolentius dictum putares in VIII. 451. (al. 467.).

Si Pegasus vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret et Tempe *viridi* lucentia fumo.

Heinsius *viridi ridentia luco* coniecit, Maserius *viridi — fundo*, uterque erudite refutatus a Burmanno. Cogitemus igitur primum sub v. *fumo* vapores e flumine Peneo surgentes. Fluvii enim vaporibus, quos emittunt, fumantes saepe describuntur, ut Acheron *fumans* apud nostrum IV. 596., Aponus *fumifer* apud Lucan. VII. 194., et IX. 711. *fumans*, qua trahuntur Chelydri, *via*, tum alii, quos Burmannus ad nostr. loc. et ad Quintil. Institut. Orat. XII. 10. collegit. Itaque nata est, ut Burmannus, Wagnerus et Weichertus observarunt, in fumo viridi suavis et naturae conveniens imago, quae inprimis adiuvatur loco Ovidiano Metam. I. 570. de eodem Peneo: *Tempe, per quae Peneus, ab imo Effusus Pindo, spumosis volvitur undis: Deiectuque gravi tenues agitantia fumos* (cfr. Propert. IV. 4, 27. ibiq. Lachmann.) *Nubila conducit summasque adspergine silvas Impluit.* Apposite Heinsius laudat Senec. Controv. I. 2. *Quin etiam montes silvaeque in domibus marcidis umbra fumoque viridibus.* Hi igitur vapores, ut a Statio Theb. VII. 327. appellantur (αὔρη ἐκ ποταμοῦ apud Homer. Odyss. V. 469. ubi vid. Nitzsch. T. II. p. 69. aut *nebulae* fluminum Lucret. V. 464. add. Bach. ad Metam. XIII. 602.) quum colorem ducerent e subiacentibus litoribus, pratis et arboribus viridibus, ipsi aliquid viriditatis traxisse videntur, ideoque virides appellantur. Ita V. 148. *virides lacus* ob arbores, quae eos cingebant, et per quas aqua lucebat, dicuntur et VI. 699. tiara describitur, *viridis gemmis et Eoae flamine silvae*, quae smaragdis s. gemmis viridibus (nam omnes tales gemmae nomine smaragdorum comprehendebantur: vid. Boettiger. Sabin. T. II. p. 153., et I. H. Vossium ad Tibull. I. 1, 51. p. 14.) splendebat et viridantem lucem accipiebat. Cfr. Claudian. de nupt. Honor. et Mar. 85. *procul atria Divae Permutant radios silvaque obstante virescunt*, quae atria non sui metalli colore, sed repercussu viridis silvae *virescunt.* Simili ratione locus Statii Theb. IV. 697. *ast illis* (i. e. deabus undarum) *tenuior percurrere visus Ora situs viridisque comis exhorruit humor*, in-

[28]) Egregie Vossius: *die grünende Ägyptus, voll grünender Gewächse, ein bezeichnendes Wort des betriebsamen Marschsandes.*

telligendus est de aqua, quam e capillo Nympharum viridi mutationem accepisse fingit poeta. Eadem v. 817. *lene virens* et *gurgite vivo perspicua* cum magna suavitate dicitur. Similiter apud Claudian. de III. Consul. Honor. 193. a poetica phantasia Neptunus equos *virides* in *alga Ionia* nutrire dicitur, et apud eundem de nuptiis Honor. et Mar. v. 164. iuvencus, sive hoc voc. de phoca sive de alio quodam monstro marino explicueris, *viridis* ob colorem maris, in quo erat, appellatur, sicut idem in loco Statii (Theb. VI. 335.) per Epitheton *caerulus*, quod Leandro per undas natanti tributum est, significatur. Paullo aliter Vossius in Epist. Mythol. T. II. p. 210. locos Claudiani interpretatus est. Add. Claudian. de rapt. Proserpinae II. 290. *Est etiam lucis arbor praedives opacis*, *Fulgentes viridi ramos curvata metallo*, i. e. curvata virides ramos fulgente metallo, ad quam vocabulorum transpositionem ramus ille aureus, per virides ramos lucens et splendens, Claudiano occasionem dedit. Denique conferri potest locus Pindaricus Olymp. VI. 89., quem in §. 1. ad v. *purpureus* illustrandum attuli, aut usus v. *vitreus*, ut Ovid. Metam. V. 48. antra *vitrea*, Sil. Ital. VII. 413. sedes *vitreae*, Virg. Georg. IV. 350. *vitrea* sedilia, in quibus v. *vitreus*, docente Salmasio ad Hist. August. T. I. 828., non semper significat id quod est ex vitro, sed etiam quod vitri colorem habet. Cfr. Bach. ad loc. Metam. laudatum. His add. Claudian. Carm. in Probr. et Olybr. Consulat. v. 225. *Ilia percurrens vitreas sub gurgite telas*, qui telas appellavit *vitreas* ob viridem maris aquam, quae ipsi colorem quasi viridem tribuere visa erat.

Neque minore cum elegantia Valerius v. *lucentia* posuit, nam multum amoenitatis per fumum illum tenuem et nebulam levissimam ipsa regio accipiebat. Ad quam vim h. v. declarandam Burmannus locum I. 842. *via lucet igne* excitavit: add. Virgil. Aen. IX. 383.

Rara per occultos *lucebat* semita calles.

Quam dictionem cur Iahnius si non ineptam, at certe perquam argutam dixerit, non satis assequor, nam multum praestat alteri scripturae *ducebat*, quod etiam Heynio, Heinrichio, Wagnero et Vossio visum est, quorum hic versiculum ita reddidit: „*Sparsam schimmerte Pfad durch überwachsene Steige.*“ Iam Wagnerus adscripsit, lumen *rarum* hic eodem modo dici, quo umbram *raram* in Eclog. VII. 46. Praeterea scriptura *lucebat* consuetudine poetarum firmatur, ut in ipsius Aeneidos libro undecimo (V. 691. s.): *sed Buten aversum cuspide fixit Loricam galeamque inter*, *qua colla sedentis* (i. e. in equo) *Lucent*, tum Silii Ital. I. 174. et in ipsius Aeneidos libro unde-

cimo (v. 691. s.) *medio lucentes vulnere flammae Cessavere*, VII. 259. *Languentes tacito lucent in litore fluctus*, pro quo Heinsius scribi voluit *ludunt in l.* vel *luctantur in l.*, quorum tamen ipsum postea poenituit. Contra Drakenborchius v. *lucent* recte ad solis radios retulit, qui in mare tranquillum immissi faciunt, ut fluctus splendeant et luceant. Add. Statium Theb. VIII. 525. *Direxit iactus, summae qua margine parmae Ima sedet galea et iuguli vitalia lucent.* IV. 365. *penitusque occulta sub undis — liquidum qua subter eunti Lucet iter* ibique C. Barthium. Tum laudant Broukhus. ad Propert. II. 1, 5., cuius tamen annotatio huc non pertinet.

§. 7.

Redeamus ad v. *viridis*. Ut apud Lucanum *viridis fumus*, sic apud Statium Theb. IX. 592. *viridis umbra* paullo audacius legitur. Verba sunt haec:

Vix ramis locus: agrestes adeo omnia cingunt
Exuviae et *viridem* ferri nitor impedit umbram.

In his per *umbram* frondes et folia arborum significantur, quae quidem umbram proprie praebent, adiectum tamen habent vocabulum, quod magis silvae atque arboribus quam umbrae ipsi convenit. Quum vero frondes maxime efficiant umbram, factum est ut voc. *umbra* interdum arborum frondes, vel densiores vel rariores, quas coronas vocamus, denotet, ut de nuce Georg. I. 191. *foliorum exuberat umbra* aut IV. 511. *populea moerens philomela sub umbra* et aliis in locis, quos Wagnerus in Quaest. Virgilian. IX. p. 413. collegit atque digessit. Inde intelligendus est idem poeta in Eclog. IX. v. 20. *viridi fontes induceret umbra* quae Statium in nostro loco ante oculos habuisse Barthius voluit [29]). Idem poeta h. v. de densioribus frondibus, immo de silvis, saepius posuit, ut IV. 256. *Maenalia umbra*, 655. *Icaria umbra*, VIII. 562. *Hyrcana umbra*, quemadmodum Valerius Flaccus 1. 95. *silvas Peliacas* dixit *umbras Peliacas* et III. 560. *umbras atque comas* in uno versiculo coniunxit. Cfr. Drakenborch. ad Sil. Ital. IV. 681. et

[29]) Praeterea verbo addidisse sufficiat, veteres in hoc quoque vocabulo praecipuam naturae habuisse rationem solisque ortum, radios et occasum duces sibi fecisse in descriptionibus suis aut imaginibus perpoliendis. De eadem re apud Goethium, qui curiosissimus naturae indagator fuit, haec in Itinere Helvetico legimus: *Beim Purpurlichte des Abends waren die Schatten, besonders auf dem grünen Grase, „wundersam smaragdgrün.“* Vid. Opp. Omn. XLIII (Supplem. T. III.) p. 60.

Heins. ad XIV. 354. Contra in verbis, quae adduntur v. *umbra*, non raro fit, ut ponantur, quae magis ad arbores quam ad umbram pertinent. Vid. Aen. I. 311. *sub rupe cavata Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris*, quae repetuntur III. 230., Silius Ital. IV. 680., *multosque per annos Nutritas fluvio populatur* (ignis) *fervidus umbras* et Val. Flacc. VII. 55. *Ante meus caeca descendet Caucasus umbra.*

§. 8.

Hactenus de iis locis, qui in rebus naturalibus describendis versantur aut ad earum speciem et vividam naturae imitationem maximo studio a veteribus poetis sunt conformati. Porro significatio, qua laeta et vegeta rerum conditio declaratur, ita ad alias res transfertur, ut v. *viridis*, primaria vi abiecta, ad ea tantum pertinere videatur, quibus florentissimus alicuius rei status depingitur. Ita Charontis senectus est *cruda viridisque* apud Virg. Aen. VI. 304., quae verba Tacitus sua imitatione in Agricol. cap. 29. non indigna habuit. Cfr. Drakenborch. ad Sil. Italic. I. 187. Add. VI. 546. VII. 3. Valer. Flacc. I. 55., ibiq. Heinsium. Ovid. Epp. ex Pont. IV. 12, 29. Deinde apud Silium III. 255. Hertes *consilio viridis*, *sed belli serus* dicitur, Labicus vero (v. 569.) *cruda mente et viridissimus irae in pugnam iisse*, ut apud eundem I. 405. Carthalo *cruda virens ad bella senecta*, et apud Claudian. Laud. Stilich. I. 324. *miles viridis*. Add. Ovid. Metam. IV. 637. *Arboreae frondes, auro radiante virentes*, *Ex auro ramos*, *ex auro poma tegebant* (in quibus poeta suo more luxuriatus est) et de eadem re Sil. Italic. III. 286. *qui — inter frondes revirescere videat aurum*, tum Stat. Silv. II. 2, 90. *Hic et Amyclaei caesum de monte Lycurgi Quod viret et molles imitatur rupibus herbas*. Cfr. Heins. ad Claudian. de rapt. Proserp. I. 235. et Bachium ad Ovid. Metam. II. 795. Contra in re iniucunda et dira serpentis *spuma virens* in ore tumidi veneni stetisse a Statio in Theb. V. 508. narratur, ut apud Ovidium Metam. II. 777. *livent rubigine dentes*, *Pectora felle virent*, apud Claudian. Idyll. 49, 96., *Viscera felle virent* (ubi vid. Heins. et Burm.) et de bell. Gildonic. 173. *spumasque requirit Serpentum virides*. Atque huc trahendum esse puto locum eiusdem Claudiani de rapt. Proserp. III. 265. s. *fremit illa* (i. e. tigris) *marito Mobilior Zephyro totamque virentibus iram dispergit maculis*, quasi a veneno quodam irae nunc demum fierent virides maculae. Et recte quidem Gesnerus ad carmen de cons. Stilich. III. 345. vidit, poetam hic soli ingenio obsecutum esse. Neque nobis talis exaggeratio, qua vehementissimam iram expressit, praeter morem illius poetae esse videtur, qui inusitate atque

paene obscure loqui maluit, quam probatissimas aliorum poetarum locutiones, quales sunt *in iras concedere* (Aen. VII. 307.), *iras sibi induere* (Sil. Ital. I. 38.), *rabiem* aut *odium colligere* (Ovid. Metam. I. 234., ubi vid. Bach.) vel alias huius generis sequi et in usum suum convertere. Accedit, quod idem poeta in duobus aliis locis v. *viridis* singulari quadam ratione usus est. Quorum prior legitur in carmine in Mallii Theodori consulat. v. 303, — 305. *Obvia fulminei properent ad vulnera pardi, semine permixto geniti, quum forte leaenae Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.* Quod Epitheton quum sit rei naturae minime aptum, Gesnerus ad Graecum sermonem confugit et v. *Χλωρός* comparato pallidos seu subflavescentes leopardos a poeta significari voluit, ut in altero loco de consulat. Stilich. III. 345. *Tum virides pardos et cetera colligit Austri Prodigia*, nisi quis in his verbis ob ea, quae praecesserunt et quae sequuntur poetam nullam fere naturalis coloris rationem habuisse, sed unice monstris atque rebus insolitis proferendis operam dedisse statuat. Quae vero Gesnerus ad priorem locum adscripsit, paullo uberius sunt explicanda, cuius rei causa locum e Ciri V. 225. hic subiungamus.

Non tibi nequidquam *viridis* per viscera pallor
Aegrotas tenui suffudit sanguine venas.

In quo v. *viridis* non solum non cum v. *pallor* congruere, immo illi plane contrarium esse videtur. At hoc vocabulum hic non plenam et perfectam viriditatem, qualis est oculis longe suavissima, denotat, sed eum colorem, qui omni fere splendore caret et dilutiore, ut ita dicam, intellectu acceptum colorem indicat subflavum seu luridum, quo pallor necessario augetur, Germ. *fahlgrün*, *mattgrün* [30]). Accedit, quod ora et corpora hominum sub calidiore coelo viventium solique vicinorum subflavescere solent, quum pallent, non, ut in nostris terris fit, colorem inducere albicantem. Itaque Silligius ad h. l. (p. 239.) praeter similia verba in Cul. 142. apte comparavit v. *luteus pallor* ex Horat. Epod. 10, 16. et *luridus pallor* ex Ovid. Metam. IV. 287. Idem laudavit Geelium in Bibl. Crit. Nov. Vol. V. P. 1. p. 251. Hinc loco Claudiani, in quo est *viridis adulter*, aliquid subsidii petendum esse puto. Nam non unius et splendentis coloris sunt leopardi, sed mixti et in viridi nigricantis aut

---

30) Vid. Goethius p. 65: *χλωρόν geht auf der einen Seite ins Gelbe, auf der andern ins Grüne. Ebenso viride, das nicht nur ins Gelbe, sondern auch ins Blaue geht.* Cfr. Passovii Lex. s. v. *χλωρόν* et magnam locorum copiam in Novo Stephani Thesauro Londinensi Vol. VIII. p. 10630—10632.

flavescentis. Quod omnino in his colorum significationibus tenendum est, non semper simplicem et distincto, quemadmodum apud nos fit, vocabulo expressum colorem a veteribus appellari, sed usum poetarum in hac re fuisse liberrimum. Ita, ut unum afferam exemplum, locus Silii Italici V. 220., in quo Bellonae *flava coma* tribuitur, ab omni mutatione tutus erit, ubi genera coloris flavi multum inter se dissidere considerarimus. Comp. Homer. Il. I. 197., qui Achilli tribuit ξανθὴν κόμην, unde sua habet Claudianus de IV. Honor. Consul. 557. *flavus Achilles.* Add. Wagner. ad Virg. Aen. X. 562., Menkium Observatt. in Stat. Achill. p. 28. et Rupertium ad Sil. Ital. I. 438. [31]). Neque *fulvi apri* apud Ovid. Art. Am. II. 373. mentio molestias alicui creabit.

§. 9.

Venimus ad v. *pallidus.* Et hoc vocabulum praeter vulgarem significationem, qua omnem sanguinem et succum e corpore abiisse indicat, colorem lentum, languidum et dilutum apud poetas significat. Vid. Virg. Eclog. II. 46. *tibi candida Nais* (fert) *Pallentes violas et summa papavera carpens.* Sunt *pallentes violae* flores flavi, de quibus Martinius ad h. l. pluribus disseruit, Heynio, Vossio et Wagnero approbantibus. Contra Passovius ad Persium p. 213. s. *violas nigras*, quae sunt genus florum campestrium, intellexit, docens v. *pallere* etiam de colore fusco dici. Sed erravit Passovius, quod e locis, a Wagnero excitatis, patet, ex Ovidio Metam. XI. 110. *saxum quoque palluit auro* et Martiali VIII. 44. *Superba densis arca palleat nummis.* Hanc explicationem firmant loci Sil. Italic. I. 229. et Stat. Theb. IV. 270., ubi de electro, quod succinum est subflavescentis coloris, v. *pallere* legitur, quorum hic vel *primum Aurorae pallorem* (Theb. II. 334.) de diei initio dixit. Add. Ernesti et Ruperti ad Silii Italic. XII. 373. Ita Claudianus in Prob. et Olybr. Consul. V. 212. *thalamos pallentes herbis* commemorans pingit colorem herbarum a nimio humore (nam de Tiberino agitur) flavescentium.

---

31) Idem p. 64: „ξανθόν *geht vom Strohgelben und Hellblonden durch das Goldgelbe, Braungelbe bis ins Rothgelbe, Gelbrothe, sogar in den Scharlach.* Cfr. Stat. Theb. IV. 772., qui Libyen appellavit *flavam* i. e. sole perustam ut V. 269. uvam *flavam.* Contra sunt *fulvi serpentes* apud Claudian. de Rapt. Pros. I. 199. et *fulva vestis* de Laud. Stilich. II. 230., quorum color aliquam habet cum auro similitudinem. Et sic alia. Vid. Dissen. ad Tibull. II. 1, 87.

Porro quae inter vv. *pallens* et *viridis* est cognatio, his aperitur locis. Virgil. Eclog. III. 39. *Lenta quibus torno facili superaddita vitis Diffusos hedera vestit pallente corymbos.* Heynius h. l. pereleganter interpretatus est, in eo tamen, (quod Doeringio quoque in Observatt. ad Virg. Eclog. p. 9. accidit) falsus, quod certum hederarum genus certumque colorem intelligi voluit. Itaque rectius Wagnerus: „quum autem color hederae in tali opere distingui non potuerit, apparet ornandi causa adiectum esse hoc Epitheton, quare supervacaneum est de colore quaerere." Sed ne omnino otiosum Epitheton *pallens* dicamus, ad id attendendum esse videtur, Virgilium, si non caelata pocula, sed floribus et sertis circumdata describenda habuisset, ea satis commode vitibus et hederis ita ornaturum fuisse, ut hinc vitium colorem magis accedentem ad colorem subnigrum, hinc hederarum folia minus nigra, sed clarius viridantia, inter se suaviter componeret et laetissima ratione imaginem suam perficeret. Non multum diversus est locus Aen. VIII. 630. *Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro Procubuisse lupam.* Nam color viridis in opere caelato distingui non poterat, Epitheton tamen ad naturae similitudinem electum est, quum poeta, si antrum ipsum descripturus fuisset, id sane frondibus ornatum et floribus hederaceis vestitum depinxisset. Vid. Wagner. ad v. 654. Atque ut in §. 5. ostendimus, v. *viridis* interdum rebus tribui, quae hunc colorem ab adiacentibus pratis, litoribus vel arboribus acceperant, ita in v. *pallidus* idem observamus. Fons enim saluberrimae et liquidissimae aquae a Claudiano de Rapt. Proserp. II. 114. *nemorum frondosa vertice cinctus vicinis pallescere aquis* dicitur. Hoc nihil aliud est quam: fons vicinis (margini) aquis virescit ab repercussa viridium umbra, quae res tamen non impedit, ut Gesnerus addidit, quo minus per profundam satis aquam ad ipsum fontis fundum penetrare possint oculi.

Progredimur ad locum Eclog. V. 16. (coll. Cir. V. 147.), in quo est *pallens oliva* lentae salici opposita, per quod vocabulum Virgilius naturam olivae optime declaravit [32]), tum in Eclog. VI. 54. *Ilice sub nigra pallentes ruminat* (i. e. bos)

[32]) Ita Goethius in Itineris Italici loco laudato: „fahlgrüne Olivenzweige." Iisdem foliis Rumohrius in libro: *Drei Reisen nach Italien* (1833 edito) idem tribuit p. 105 (*ein mattes, bläuliches und ins Graue schillerndes Grün*) et postea p. 121 ita scribit: *winterlich hat das Blatt der Olive eine schönere Farbe, weil es in dieser Zeit die glatte Seite an den Tag kehrt, wie im Sommer die rauhe.*

herbas [33]), denique *pallentes hederae* in Georg. IV. 124., quas Heynius nigras (rectius nigricantes dicere debebat), fuisse annotavit, Meierotto contra in Dub. ad Lat. script. pertin. p. 10. de illa hederae specie intellexit, quae in extremis foliis pallet i. e. quae ore argenteo est signata. Idem Epitheton buxo tribuit Ovidius Metam. IV. 134. *oraque buxo Pallidiora gerens* et XI. 417. *buxoque simillimus ora Pallor obit* ob colorem tempore hiberno subflavescentem vel luridum, cum quibus iam Bachius Homericum illud χλωρὸν δέος ex Il. VII. 479. et Sapphonis verba (cfr. 2. 14.) χλωροτέρα ποίας ἔμμι contulit. Add. Ovid. Art. Am. III. 703. Ex hoc usu egregia illa Taciti dictio in dialog. de Orator. 13, 6. fluxit: *lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar.* Et hinc Valerius Flaccus sua hausit, qui V. 106. urbem Cytoron ob frequentiam buxorum prope illam nascentium urbem *pallentem* appellavit, immo solis equi *pallentes* dicuntur a pallore solis, qualis fuit fere per totum annum, in quo Iulius Caesar est interfectus, apud Tibull. II. 5, 75., quemadmodum, Dissenio notante, Propertius III. 5, 34. equos fecit *atratos* in verbis: *solis et atratis luxerit orbis equis.*

Caput quartum.

De Epithetis ad picturae similitudinem delectis.

Hactenus de Epithetis, quae a coloribus petita erant, egimus, locum tamen illum uberrimum et copiosa disputatione dignissimum modo attingentes, ut qui telam pertexere volunt, satis amplam materiem sibi relictam inveniant, dummodo et accurata ipsorum colorum atque naturae illorum scientia et non mediocri veterum scriptorum notitia instructi ad hoc negotium accesserint. Sed praeter illa vocabula veteres poetae alio artificio eoque haud contemnendo ad carmina sua illuminanda usi sunt. Nam quum trita sit sententia, bonam poesin simillimam esse bonae picturae, id quoque veteres, ut acerrimi rerum naturalium imitatores, sibi proposuerunt, ut verba quam saepissime eligerent, per quae ad modum pictorum egregiorum lectores suos tenerent iisque imagines rerum et locorum quam clarissime depingerent et ad sensus illorum revocarent. Ad quam rem non opus esse magna loquacitate et nimia vocabulorum copia illi poetae optime perspicientes apto verborum delectu et felici brevitate rem suam multo melius perfici posse e bono eventu

---

[33]) De his recte Kaestnerus, qui Wagneri censor fuit in Diurn. Schol. Darmst. a. 1832. Part. II. scid. 70.: *„die im dichten Schatten einer Eiche von matter, gelblichgrauer Farbe zu seyn scheinen."*

intellexerunt [34]). Cuius generis vocabula, quae multa cum arte adhiberi solebant, sunt *tremulus*, *trepidus*, *avidus*, *curvus*, *pendulus* et Participia *errans*, *natans*, *undans*, *vibrans*, *pendens*. De his igitur in sequentibus uberius agamus.

§. 1.

Initium facimus a vocabulis *tremulus*, *errans*, *vibrans* et *natans*. Quorum primum egregie positum est in loco Aen. VII. 9. *Splendet tremula sub imagine pontus* ut *lumen tremulum* VIII. 32, quos locos deinde alii poetae ante oculos habuerunt, ut Ovid. Metam. IV. 136. Heroid. XVIII. 50. Valer. Flacc. V. 109. (*alta Carambis Raditur et magno pelago tremit umbra Sinopes*, quasi ipsa tremeret Sinope, cuius tantum imago in aqua tremula conspicitur), Lucan. II. 621. et 679. Cfr. Burmann. ad Valer. Flacc. III. 588. et VI. 528. His addo locum Statii Theb. II. 604. *clipeo quae plurima toto Fixa* (i. e. spicula) *tremunt* et descriptionem militum graphicam apud Claudian. in Rufin. II. 355—357. *Hic alii saevum cristato vertice nutant*, *Et tremulos numeris gaudent vibrare colores*, *Quos operit formatque chalybs*, quae verba Gesnerus coll. loco in VI. Consul. Honor. 576. recte interpretatus est de rubro panno per humeros libere fluctuante. Huc referendus est usus v. *vibrare* apud Sil. Ital. VII. 143. *sicut aquae splendor — vaga sub imagine vibrans Luminis* (in quo loco v. *vagus* bene respondet v. *vibrans* de celeri motu, ut *vaga lux* apud Valer. Flacc. III. 558. VI. 584.), tum II. 663. cum annotatione Drakenborchii, Valer. Flacc. II. 583, Lucan. V. 446, et verbi *errare*, de quo vid. Stat. Theb. II. 531. *Adversaque sub umbra Flammeus aeratis Lunae tremor errat in armis*, vel Claudian. de Rapt. Proserp. II. 2. in descriptione diei nondum plene exorti: *tremulis vibravit in undis Ardor*, *et errantes ludunt per caerula flammae*, quem licet Gesnerus e physica maris ratione illustraverit (vid. Cap. 1. §. 1. not. 2.), singulis tamen verbis suus constabit honor. Comp. Aen. V. 435, Valer. Flacc. VI. 674, VII. 578. et Sil. Italic. VII. 438. Tertio loco ponamus v. *natare*, cuius auctor sit iterum Statius Theb. II. 42. *Ast ubi prona dies*, *longos super aequora fines Exigit* (mons) *atque ingens medio natat umbra profundo*, quae, ut in altero

34) Accommodate I. H. Vossius ad Virgil. Eclog. V. 4. p, 190. ed. sec.: „*Gemälde der Gegend, woran gemeine Dichter am geflissensten ihre Farben verschwenden, werden von Meistern der Kunst nur nebenher, wie die besungene Handlung sie zu fordern scheint, mit grofsen Zügen für die ausbildende Phantasie entworfen und so viel als möglich in lebenähnlicher Bewegung.*"

loco Silv. II. 2, 49. *Quum — in aequore montis opaci Umbra cadit vitreoque natant praetoria ponto*, paullo audacius sint dicta, sua tamen amoenitate ad sensus legentium non carent. Insolentiore ratione, inprimis si ad recentiorum linguarum indolem spectamus, Manilius Astronom. V. 423. de homine dixit: *nunc in aquas rectus veniet passumque natabit.* Ita enim scribendum esse censet Gronovius ad Stat. Silv. V. 2. p. 508. ed. Hand., haec adiiciens: „Quod in aqua movetur, natat. Ita et pisces et naves et venti *natare* dicuntur. Qui vero graditur, facit passum. Hinc *natat passum*, qui velut eundo natat, vel natando, hoc est in aqua se movendo, facit passum.“ Alii vero hanc lectionem improbarunt et Handius l. c. coniecit: *passimque volabit*, quae Weberus in Corp. Poet. Lat. ex parte recepit, scribens: *passimque natabit.* Neque tamen negandum est, hoc vocabulo atque hac motus significatione poetas latinos — quod in transcursu moneo — admodum delectatos fuisse in carminibus suis. Etenim praeeunte Lucretio III. 590. aves in Virgil. Georg. IV. 59. et grues in Aen. X. 65. *per liquidam aestatem nare* dicuntur, cfr. Oudendorp. ad Lucan. V. 554., tum homines, per terram iter facientes, *natant* apud Sil. Italic. XV. 875., coll. Drakenb. ad III. 662., et ipsae terrae, ut in Georg. III. 199., campi dicti sunt *natantes* a similitudine maris fluctus volventis (cfr. Wakefield. ad Lucret. V. 489), cui loco Heynius comparavit Valer. Flacc. III. 525. *tenui vagus innatat unda Crinis* i. e. passi capilli, tenuibus fluctibus similes, per cervices ad mammas usque moventur. Quid? quod in niveo Achillis ore *ignem purpureum* Statius *natare* fecit in Achill. I. 161, qui h. v. ad similitudinem aliorum locorum (Aen. XII. 68, Tibull. III. 4, 30, Ovid. Metam. III. 423.) composuit, sed in vocabulis coacervandis nimium sibi indulsit. Cfr. intpp. ad Virg. Georg. IV. 496. et infra §. 3. extr.

§. 2.

Eidem poetarum consilio, quod sub initio capitis descripsimus, inserviunt vocabula *undare* et *nutare.* Quod ad prius eorum attinet, proprium habet tropicus h. v. usus, ut non praecipue ad copiam et abundantiam referatur, quod nonnullis visum est (cfr. Auson. Popm. p. 101. *Unda est proprie globus aquae in tempestate, quum turbat et fluctuat — unda semper denotat copiam et multitudinem*), sed ad motum illum inconstantem et turbidum, qui ab aliqua re ortum seu impulsum trahens undanti mari fit aemulus. Vid. Doederl. Synonym. Lat. T. II. p. 105 [35]). Quam significationem iam ii loci docent, in quibus

[35]) Inter alia haec adscripsit: „*wie aqua als Gegensatz von*

undare dicuntur lora et habenae (Aen. V. 146. XII. 171), tum fumus, ut Aen. II. 609. *Saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum* i. e. in modum undarum attollitur: cfr. VIII. 653, deinde sanguis, qui X. 908 cum aliquo impetu prosilire dicitur, postremum ignis, ut Georg. I. 472 *vidimus undantem* (i. e. flammas effundentem) *raptis fornacibus Aetnam*, add. Aen. XII. 673, Sil. Ital. IX. 446 et VII. 462—466, qui locus elaboratissimus ad metaphoricam v. *undare* vim intelligendam admodum idoneus est. Illius vero fines transiit Claudianus de Mall. Theodor. Consul. 21. *Mox undare foro victrix opulentia linguae Tutarique reos.* Neque in his locis, quae multitudinis et abundantiae notionem h. v. tribuerunt, longe maior inest vis, si de motu maximo et instabili acceperimus. Ita Georg. II. 437. *Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum* i. e. buxum undantem in Cytoro, qui leniter sese inclinans fluctuum more huc illuc sese movet. Itaque parum recte v. *undans* in duobus codd. Servianis per *abundans* explicatur ut a Weitzio, Burmanno et Wagnero ad Valer. Flacc. I. 539, in quo loco de regione ab Hellesponto usque ad Tanain scriptum legimus: *undat equis floretque viris.* Interpretationem nostram praeter Erythraeum in ind. Virgil. s. h. v., firmant plures loci a Burmanno allati, tum Georg. III. 28, in quo loco, quae proprie ad provinciam Aegyptiacam, bello et civilibus motibus tumentem (ut recte Heynius ostendit) spectant, egregie ad fluvium Nilum transferuntur, qui similiter turbidus incedit, fluctus volvit et litora superare conatur. Aliter in Aen. VI. 83 Sibylla *Tibrin multo sanguine spumantem* appellat, quippe qui magnas caedes bellumque Aeneae gravissimum portenderet, quod de bello Aegyptiaco dici non potuit, in quo nihil fere armis erat gestum. Illustratur eadem v. *undare* significatio imitatione Pacati Panegyr. 37, 4. *Portas virentibus sertis coronatas, aulaeis undantes plateas,* quae a rhetore iterum ad imitationem maris dicuntur, cuius fluctus ventis exorientibus altius insurgunt. Itaque recte Gesnerus ad Claudian. de Rapt. Proserp. II. 320 haec ad explicanda Pacati verba adscripsit: *undantes plateas* intelligam fluctuantes aliquantum ab aura et vento, quod non intenta et affixa suis extremis essent aulaea, sed ita suspensa ut velut undas quasdam agere a vento possent: qua ratione mutatus subinde cum situ repercussus lucis, et umbrae admistis, colorum quoque

---

terr nur ganz materiell das Wasser als Element bezeichnet, so schildert unda diefs Element als das flüssige, stets bewegliche, gleichsam im Gegensatze von solum, wodurch das Erdreich hinsichtlich seiner Festigkeit bezeichnet wird.“

et splendoris mutationem oculis iucundam et vitae quoddam instar attulit.“ Denique falsae v. *undare* significationis nonnulli patrocinium sibi invenire visi sunt in Virgil. Georg. II. 461 sq.

ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus *undam.*

Sed v. *unda* non solum magna hominum turba prorumpens significatur, quae sententia erat Schirachii in Clav. Poet. p. 642, sed ratio illa salutantium, qui passim discursant, sese invicem trudunt atque de loco pellunt, unus alium anteire student, ne officio suo deesse videantur. Virgilii verba sine dubio ante oculos habuit Statius Theb. II. 223. *Exin mille duces: foribus quum immissa superbis Unda fremit vulgi.* Eandem Romanorum consuetudinem Claudianus in panegyri in Prob. et Olybrii Consulat. v. 45 — 47 descripsit: *Quippe velut densos currentia munera nimbos Cernere semper erat: populis undare Penates: Assiduos intrare inopes, remeare beatos.* Virgilii verba cum verbis Senecae in libro de benefic. VI. c. 34. optime composueris: *ad quemcumque itaque illorum* (i. e. potentiorum) *veneris, quorum salutatio urbem concutit, scito, etiamsi animadverteris obsessos ingenti frequentia vicos et commeantium in utramque partem catervis itinera compressa, tamen te venire in locum hominibus plenum, amicis vacuum.* Neque Cicero ab illo translato v. *unda* abhorruit. Vid. quem Doederlin. h. l. laudavit locum ex orat. p. Planc. 6. 15 et add. de republ. I. 1, 1. *Sed homo demens, ut isti putant, quum cogeret eum necessitas nulla, in his undis et tempestatibus ad summam senectutem maluit iactari, quam in illa tranquillitate et otio iucundissime vivere.* His add. Schmidium ad Horat. Epp. I. 1, 16. Unde rarius quidem ad interiorem animi statum v. *undare* transfertur, cuius rei exemplum invenimus apud Valer. Flacc. V. 302 *Praecipue Aesonidam varios incerta per aestus Mens rapit undantem curis ac multa novantem.* Quid in tali verborum structura v. *undare* et *fluctuare* (*fluctus curarum* vid. apud Catull. LXV. 97, Sil. Italic. VIII. 32, coll. Drakenb. ad eund. IX. 527 et *fluctus concionum* ut *undae concionum* saepe apud Ciceronem, ut p. Milon. 2, 5, p. Sext. 9, 19. de Orat. 1, 1, p. Planc. 4, 11. al.) differant, vix cum aliqua veri specie constitui posse videtur.

§. 3.

Altero loco posuimus v. *nutare.* Hoc vocabulo a poetis aut quae quassantur aut quae insigne pondus habent designantur. Posterioris significationis gravitas apte patet e locis Virgilii Ecl. IV. 50. *Adspice convexo nutantem pondere mundum* et Lucani I. 529 (viderunt) *terris nutantem regna cometen,*

ut Weisius nuper recte edidit p. *mutantem.* Scilicet cometes terris imperia sub uno homine, quales erant Sulla, Marius, Pisistratus aliique, minitatus est, quod cum ceteris huius loci versibus bene congruit. Sed ex altera lectione cometes regna unius cum terris ipsis permutata porteuderet, quod a poeta nimis audacter et ultra fidem dictum esse putamus, quamquam a Silio Italico VIII. 639., laudante Oudendorpio, cometes appellatus est *eversor regnorum* et Tacit. Annal. XIV. 22. cometem e vulgi opinione *regis* (ut recte N. Bachius edidit et interpretatus est pro *regnis*, quae erat Bentleii coniectura) *mutationem portendisse* tradit. Neque vero in his locis aliud quid inest, quam regum et imperatorum interitus seu eiectio e sedibus suis per illud sidus praemonstrata, minime vero terrarum, hominum aliarumque rerum conversio vel transitus e deteriore statu in meliorem aut contra. Nam hoc significaret v. *mutare*, quod est ex numero eorum, quae media dicuntur, vocabulorum: vid. Virgil. Eclog. IV. 44., Stat. Theb. VII. 71. 206., Heindorf. ad Hor. Sat. II. 7, 110. et Peterseu. in Observatt. Tacit. Spec. I. p. 22. Quae autem in Lucani loco est horroris et mali futuri praesensio, ea in loco Virgilianae Eclogae est amoenitatis et faustissimi in posterum tempus status significatio. Id post Heynium, qui orbem terrarum adventu quasi et apparitione Dei, ut in *ἐπιφανείαις* Deorum fieri solebat, concussum et laeta exspectatione proculsum esse ostendit, Vossius ad h. l. (p. 168. sq.) egregie declaravit [36]. Vid. locum Catulli Epithal. Pel. et Thetid. 290., in quo *platanus* dicitur *nutans* vel Ovid. Art. Am. II. 263. *Dum bene dives ager, dum rami pondera nutant.* Tum Vossius scripturam in Cir. 217. *Et alti Suspicit ad lunae nutantia sidera mundi* ab omni dubitatione vacuum dixit, cum quo Silligius ad h. l. p. 238. plane consentit, docens v. *nutare* de Lunae cornibus non hic tantum poni, id quod apparet e loco Arat. Phaenom. 788. (ἦν δὲ Σελήνη) *Μήτ' ἐπινευστάζῃ, μήθ' ὑπτιόωσα φαείνῃ, Ἀλλ' ὀρθὰς ἑκάτερθε περιγνάμπτουσα κεραίας*, ubi vid. Vossius. Sed erravit idem in censura loci Virgil. Aen. IX. 732. sq.

tremunt in vertice cristae
Sanguineae, *clipeoque micantia fulmina mittit*

ubi e duobus libris *clip. mic. fulm. nutant* restitutum esse voluit. Locus variis modis tentatus est a viris doctis, quorum sententias Heynius et Wagnerus collegerunt. Heynius ipse locum coniectura expediendum, Wagnerus interpretatione firmandum esse censuit. Quod ad hanc attinet, Wagnerus acute de-

[36]) *„Das ganze All schauert vor Wonne, indem das erste Saeculum der goldnen Veriüngung eintritt.“*

monstravit, subiectum ad v. *mittit*, quae est probatissima librorum scriptura, e superioribus repetendum et ad h. v. *mittit* esse intelligendum *Turnum*, de quo in praegressis versibus Virgilius narravit eum in castris Troianis esse inclusum [37]). Hinc nova

[37]) Non nominatim appellatus est Turnus, sed e loci nexu patet ad eum haec verba referenda esse, licet subiectum paullo longius repetendum est, ut Wagnerus idoneis exemplis confirmavit. Vid. v. 578 sq. *Ergo alis adlapsa sagitta, Et laevo infixa est lateri manus abditaque intus Spiramenta animae letali vulnere rupit*, i. e. *sagitta*. Et infra v. 749. *Sic ait* i. e. *Turnus* e v. 740., tum ad VIII. 271. *Hanc aram luco statuit* revocamus e v. 260. nomen *Hercules*. Frequentior haec ellipsis in verbis iuxta positis fuit, ut Lucan. IV. 205. *Foedera pacis Cognita Petreio, seque et sua tradita venum Castra videt* sc. *Petreius*. Cfr. Weichert. ad Valer. Flacc. VIII. 381. Inverso ordine Subiectum e versibus sequentibus assumendum est apud Ovid. Metam. XII. 258 — 260. *Proximus ut steterat, spectans altaria vultu Fumida terribili, Cur non, ait, utimur istis? Cumque suis Gryneus immanem sustulit aram Ignibus*, in quibus ad v. *proximus* pertinet v. *Gryneus*. Vid. Bach. ad VII. 80. Ad hoc genus dicendi duo sunt referendi Claudiani loci de laudib. Stilich. II. 135. et 215. In priore Luxuries describitur *blanda quidem vultus, sed qua non tetrius ulla Ultrices fucata genas*, in quo Gesnero in mentem venit scribere: *sed qua non tetrior ulla Ultricum* i. e. Furiarum, quas ultrices Virgil. Aen. IV. 473. et 610. appellavit. Sed rectius idem addidit *ultrices genas* ita clare designare Furiam, ut solum nomen *ulla* praedicata reliqua sustinere possit. In altero loco (v. 214) est: *Insidias retegunt, et in ipsa cubilia fraudum Ducunt, ceu tenera venantem nare Molossi*. In his primum ad vv. *retegunt* et *ducunt* sunt intelligendi Superi e v. 209., tum quaeritur, cui insidias retegant et quem in cubilia ducant. Gesnerus eos intellexit quos opus est, non expresso subiecto, haud male, nisi forte ad illud voc. *unum* in v. 209. (*cingunt Superi concordibus unum Praesidiis*) haec verba referenda sunt. Tum Gesnerus lectionem *Molossum* non improbavit, unde sententia haec oritur: Dii in cubilia ducunt vindicem ceu Molossum, ut non Dii comparentur Molossis, sed principes vel eorum ministri, ultores fraudum. Contra in scriptura vulgata acquiescendum esse duco, quae ut permutaretur causa fuit accusativus praegressus *venantem*. Nam talibus in verbis librarios saepe lapsos esse Wagnerus docuit in Quaestion. Virgil. VIII. 2. a. Porro hoc Gesnero libenter concedimus, Deos superos hac cum canibus Molossis comparatione non admodum ornari. Sed non tam indecora haec comparatio, licet moribus nostrae aetatis incongrua, esse videtur quam Honorii, regii iu-

orta est rerum facies, Turnus novos sumsit animos, arma vertit quamcunque in partem contra hostes obvios, maior extitit armorum, galeae, clipei fulgor. Itaque vv. *micantia fulmina* clipeus Turni describitur, quem in hostes aggredientes modo huc modo illuc vertit, cuius igitur splendor, a solis radiis repercussus, maximus est, dum singuli igniculi aut scintillae, e reflexu cristarum in clipeum emissae, totam illius superficiem percurrunt et vel maiores vel minores fiunt, quo propior aut remotior clipeus est a sole. Simili ratione poetae saepius de armis magnorum ducum locuti sunt, ut ipse Virgilius Aen. X. 270. *Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes.* Scilicet flammae, quibus Aeneae galea sole orto (v. 257) circumfundebatur, splendorem suum in clipeum tremulo cum fulgore reiiciebant, ut modo in hac, modo in illa parte clipei conspicerentur. Sil. Italic. I. 475 — 477. *Ut tegmina primum Fulgentis galeae conspexit et arma cruento Inter solem auro rutilantia.* Stat. Theb. VI. 665. *Qualis Bistoniis clipeus Mavortis in arvis Luce malâ Pangaea ferit solemque refulgens Territat.* IX. 855 — 857. *Iam minus atque minus fert arma puerque videtur Et sibi, quum torva clipei metuendus obarsit Luce Dryas.* Cfr. Heyn. ad Aen. VIII. 622 sq., qui inter alios attulit locos Homericos Il. v. 4. δαῖε οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ i. e. micantia fulmina, et XXII. 134 sq. Ἀμφὶ δὲ χαλκὸς ἐλάμπετο εἰκελὸς αὐγῇ Ἢ πυρὸς αἰθομένοιο ἢ ἠελίου ἀνιόντος. Neque in nocturno tempore talem armorum ornatum et fulgorem describere omiserunt poetae, ut suavis ostendit Statii locus Theb. II. 530 sq. *adversa — sub umbra Flammeus aeratis lunae tremor errat in armis.* Porro Virgilius v. *fulmina* aptum adiecit Epitheton *micantia* de tremulo illo fulgore, ut VII. 743. *Aeratae micant peltae, micat aereus ensis* coll. Valer. Flacc. III. 76., VI. 404. et Liv. VI. 12. extr. *Ubi hostes se vobis intulerint, tum micant gladii.* Aen. II. 734. *Ardentes clipeos* (pro-

venis, cum equo, quem *primus amoris Sollicitavit odor* in Epithal. Honor. et Mar. 289. ad q. l. ipse Gesnerus: „hodie quidem certe in epithalamio hic odor nares modo paullum delicatas, nisi cautissime ac delicate adeo, ut hic, tractatus, corruget.“ Neque comparatio amantium cum equis, quibus os *molle* vel *durum* (cf. Iani ad Horat. Carm. IV. 1, 6.) hodie satis placeret aut similitudo Achillis atque iuvenci apud Stat. Achill. I. 313. sq. Pertinet vero ad hos locos et qui similes iis sunt observatio Schaeferi ad Eurip. Hecub. 876. ed. tert. Porson.: „Talia in veterum scriptis e nostro sensu non iudicanda sunt: plurima enim illi de hoc genere graviter scripserunt, quae recentiorum humanitas an elegantia morum exhorrescat.“

pter flammam relucentem) *et aera micantia cerno*. VIII. 392. *Non secus atque olim, tonitru quum rapta corusco Ignea rima micans percurrit lumina nimbus*. I. 90. *Intonuere poli, crebris micat ignibus aether*, qui duo loci ad nostra verba illustranda inprimis faciunt. Cfr. Bach. ad Ovid. Metam. IX. 37. Hinc translate v. *micare* ponitur de rebus, quae per se quidem non lucent, sed eminent prae aliis et magna cum velocitate circumferuntur, ut in Aen. X. 396. *Te decisa suum, Laride, dextera quaerit Semianimesque micant digiti ferrumque retractant*, coll. Statio Theb. X. 310., qui tales digitos appellavit *trementes*, et apud Valer. Flacc. V. 204. *Dives ubi pellis micet arbore sacra* ob colorem auri inter ramos arboris praelucentem.

Hactenus de Wagneri interpretatione loci Virgiliani firmanda atque stabilienda. Neque tamen omnino improbanda esse videtur Heynii emendatio: *clipeusque micantia fulmina mittit*, quam satis blande e lectionibus *clipeo* et *clipeos* (quae vetus fuit nominativi forma) elicuit. Poeta, ut idem vidit Heynius et post eum Heinrichius in Annotat. ad Virgil. Aen., haec scriptura digna fuit. Nam ut *cristae trementes* aliquid per se efficere narrantur, ita his in eadem actione clipeus adiungitur, qui proprie a Turno movendus et circumferendus erat, ut sua fulmina hac illac dispergeret. Similis licentiae exempla et apud Virgilium et apud alios poetas leguntur. Vid. Aen. IX. 304. de nave *Anceps sustentata diu fluctusque fatigat*, quam proprie fluctus fatigant et ibid. 321. *Melampus, Alcidae comes, usque gravis dum terra labores Praebuit*. Sil. Italic. II. 217. *Aut ubi Cecropius — Sparsa super flores examina tollit Hymettos*. Stat. Theb. XII. 251. *Cernis, ut ingentes murorum porrigat umbras Campus* i. e. murorum umbrae per campum porriguntur. Alii huius generis loci alia occasione suam explicationem accipient.

Idem Statius nos in fine revocat ad locum Thebaidos X. 299. *Stagnant nigrantia tabo Gramina, sanguineis natant tentoria rivis*, quem locum Heinsius et Marklandus ad Silv. II. 1, 17. p. 215. ed. Dresd. iure refinxerunt, scribentes *natant* p. *nutant*. Neque enim sanguis res est quae quassatur aut quae est ponderis insignis, contra quodcunque laxum est atque vacillat *natare* dixerunt poetae, ut iam supra §. 1. ostendimus. Similiter Agyllei, hominis immanis, *luxuriant artus effusaque sanguine laxo Membra natant* Theb. VI. 841. et *rotae* appellantur *natantes* ibid. 284. i. e. iamiam ruiturae, explicante vetusto Scholiasta Lactantio. Cfr. Stern. ad Nemesian. V. 169. p. 198. et Markland. ad Stat. Silv. III. 5. 39. p. 294. ed. Dresd., qui idem vocabulum de luminibus in mortis appropin-

quatione fractis et paene exstinctis positum illustravit. Add. eundem p. 412.

§. 4.

Similis fluctuationis magnaeque festinationis index est v. *trepidare.* Primum enim aqua *trepida* vocatur, in qua, ut apud Ovidium Metam. XIII. 278., ferrum igne rubens submersum sibilat, quoniam illa aestu agitatur et inde ad ipsum ahenum transfertur, quod Virgilius Georgic. I. 296. dixit *trepidum*, quoniam ebullit atque aestuat. Eiusdem fervoris et aestus res minores esse dicuntur, quae aut prae laetitia aut prae timore morae sunt impatientes, ut *linguae trepidantes* (Catull. LXVIII. 28.), *penna trepidans* (Ovid. Metam. I. 508., ubi vid. Bach.), *planta trepida* (Sil. Ital. VIII. 283.) *corda apium trepidantia* (Georg. IV. 69.) et *apes* ipsae *trepidae* et *pennis* suis *coruscantes* (ib. v. 73.). Alia vid. apud Broukhus. ad Tibull. II. 2, 17., apud Mitscherlich. ad Horat. Carm. III. 2, 5. et de usu v. πτοεῖσθαι Iacobs. ad Philostrat. p. 643. Significatur igitur hoc vocabulo non motus aliquis simpliciter ortus ad capessendam aliquam rem, neque omnis tumultus, qui fit ante concursum, sed motus cum festinatione aliqua sive e terrore repentino sive e quacunque alia subita re, in qua aliquid confusionis tumultusque inest, natus. Ita Ulyssis socii *trepidi* crudelia Cyclopis limina linquere dicuntur Aeneid. III. 626., suae modo salutis studiosi et Achaemenidis plane immemores, ita Aeneas (XII. 748.) fervidus pedem *trepidi* Turni, quem subitus terror ob ensem fractum oppresserat, urguere dicitur; simili denique ratione Pompeius *trepidus* dicitur *maritus* ad amplexum Iuliae uxoris festinans apud Lucan. III. 35. Vid. ex eodem II. 392. *trepidum agmen*, II. 462. *trepidus Libo*, tum Gronov. ad Liv. XXVII. 1. Neque alia ratio est versiculi in Aeneid. IV. 121.

Dum *trepidant* alae saltusque indagine cingunt

quae verba cum Handio ad Stat. Silv. I. 2, 75. p. 226. ita intelligo, ut turmae venantum agitatae (*alae venantum* apud Sil. Italic. II. 419.) huc illuc circumcurrere et se movere dicantur. Cfr. Aen. XII. 403. Ille (Iapis) *multa manu medica Phoebique potentibus herbis Nequidquam trepidat* i. e. multa et varia tentat, sed prae nimia festinatione rectum eligere nequit. Illa igitur interpretatio propriae v. *trepidare* significationi longe aptior est quam si illud ad rem vita carentem retuleris, quod qui fecerunt, verba de genere retium versicolorum et pennarum rubricatarum intelligentes, in errorem sese abduci passi sunt comparatione locorum Georgic. III. 272., Aen. XII. 750., Senec. Hippol. 46. aliorumque quos vid. apud Oudendorp. ad Lucan.

7

Phars. IV. 437. Et habet quoque haec explicatio, quo se non solum venatoribus, sed iis etiam qui picturas suaves et imagines ad naturam maxime expressas in veteribus poetis amant, admodum commendet, quo autem amore Marklandum ad Stat. Silv. I. 3, 50. p. 191. abusum esse puto scribendo apud Manil. V. 184. *ducuntur et ipsi Retibus et claudunt campum formidine pinnae.* Sed retinenda est scriptura *formidine mortis*, quam versus sequentes abunde tuentur, ut nulla mutatione opus sit.

Porro idem motus, quo homines trepidi correpti esse dicuntur, locis ipsis, in quibus eiusmodi homines sunt, adscribitur. Vid. Aen. VI. 799 — 801.

Huius in adventum iam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divum et Maeotia tellus,
Et septemgemini turbant *trepida* ostia Nili.

Locus est elaboratissimus et ad Augusti magnitudinem celebrandam peraccommodatus. Quae ut excellentissima sit, non Aegypti incolae in turbas et timorem coniecti esse dicuntur, sed ipsa ostia Nili fracta et ingenti horrore perculsa post decretoriam illam cladem apud promontorium Actium. Cfr. VIII. 711. sq. In eadem re Propertius III. 10. (al. 9.) 51. *vaga flumina timidi Nili* dixit, ubi vid. Broukhusius; add. Lucan. Pharsal. III. 298. *trepidantis moenia Romae* et Stat. Achill. II. 197. *ipsaque iam dubiis* (al. *trepidis*) *nutant tibi Pergama muris.* Hanc ostiorum Nili conditionem primum v. *horrent* (de quo vid. supra cap. 1. §. 4.), tum v. *turbant* apte praeparant. Nam hoc quoque vocabulo aut rei confusio aut mutatus status aut vehemens motio, docente Handio ad Stat. Silv. I. 3, 102. p. 465., indicatur, ubi add. Virgil. Eclog. I. 12. Aen. VIII. 223. Lucan. IV. 368. VII. 116. Sil. Italic. II. 635. Cfr. Weber. ad Iuvenal. p. 211. Ad grammaticam structuram quod attinet, v. *turbare* absolute, ut loquuntur, p. *turbari* positum loci Georg. I. 513. Aen. I. 104. XII. 252. Sil. Ital. I. 288. tuentur, quibus adiiciantur disputationes Drakenborch. ad Sil. Ital. IX. 548., Iahn. ad Aen. II. 235., Wagner. et Iacobs. (Anthol. Lat. T. II. p. 427.) ad Georgic. l. c. et Kritzii ad Sallust. Catil. 6, 7.

Revocat idem vocab. *trepidus* nos ad locum Valerii Flacci in libr. III. v. 216 — 219., quem e difficilioribus esse interpretes statuerunt. Versus sunt hi:

vos prodite, Divae,
Eumenidum noctisque globos; vatique patescat
Armorum fragor et *trepidi* singultibus *agri*
Labentum atque acti Minyis per litora Manes.

Caedes a Minyis editas i. e. Manes per litora actos Valerius

post hanc Musarum invocationem describere incipit. In quo loco tamen Burmannus ita haesit, ut scripturam libri Bononiensis *tepidi* scripturae *trepidi*, quam omnino absurdam habuit, praeferret eamque de recenti sanguine, quem moribundi inter singultandum eiecerant, interpretaretur [38]. Contra locus aliter explicari potest. Ac primum *singultus labentum* est sanguis labentum in agris per singultus ore emissus, ut Aen. IX. 332. *Truncumque reliquit Sanguine singultantem*, cui loco Heynius graecum ἀναβλύζειν ex Apollon. Rhod. IV. 923. et Analect. VII. 390. IX. p. 58. (coll. Ruhnken. Ep. Crit. p. 116.) contulit. Add. Sil. Ital. I. 388. *Oraque dum calcat iam singultantia leto.* Stat. Theb. V. 260. (pueri) *trepidas in limine vitae Singultant animas.* Qui vero vulneribus affecti et sanguine maculati in pugna corruunt, mortem, si vires ipsis exiguae supersunt, non ipso in loco exspectare solent, sed se ipsos tollere conantur atque in locum alium pervenire enituntur, quo se recreatos vel adiutos, immo servatos fore putant. Hinc singulorum in pugnae campo fit perturbatio, quae, quum unus prae altero salvus esse cupit, coniuncta est cum ea properatione, quam in v. *trepidare* inesse docuimus. Itaque Valerius, quae hominibus labentibus proprie conveniunt, agris, in quibus occumbunt, tribuit et eosdem agros, qui proprie erant testes atque spectatores caedium, in mediam actionem induxit, quum contra ad vulgarem dicendi rationem aptius agros *undantes* ob vim hominum morientium et sanguinem huc illuc effusum et omnia tegentem appellasset. Qui modus loquendi etsi paullo sit audacior atque obscurior, non tamen similibus caret dictionibus. Nam missa faciamus, quae sunt usitatioris metaphorae, ut *domus conticescentes*, *amnes clamantes*, *montes laetantes*, *crimina euntia* (Stat. Achill. I. 63.), *agri gementes* (Theb. V. 525. VI. 227. cfr. Lucan. VII. 768.) et alia, sed audacius ipse Valerius I. 631. *Linquite, terrae, spem pelagi sacrosque iterum seponite fluctus* i. e. vos terrae, sive quicunque terram colitis homines, relinquite spem maritimi cursus. Cfr. Drakenborch. ad Sil. Italic. III. 75. Huic accedant ex eodem Valerii libro II. 476. *Arsere rogis certantibus agri* (i. e. ipsi rogi, quod proprium fuit hominum, arserunt), VI. 698. *Nunc fuga conversas spargit mentita sagittas* i. e. homines fugientes, (add. Weichert. ad II. 200. in Beckii Act. Semin. Reg. Vol. II. P. 2. p. 345.), tum e Silii Italic. I. 472. *Curvatis pavidas trans-*

---

[38]) Vid. quae de confusione utriusque vocabuli Weichertus in Lect. Venusin. Specim. II. p. 19. docte disputavit.

mittit (Corus) *Cycladas undis* i. e. pavidos Cycladarum incolas, VI. 32. *Labentia membra Prostravit super atque iniecta morte tegebat*, in q. l. *mors iniecta* est Bruttii aquiliferi corpus, quo, quum omnes eum pro mortuo haberent, ipse vestimenti instar aquilam tegebat. Interpretatione igitur, non emendationibus Burmanni, Heinsii et Dansqueii locus erat expediendus. Deuique nonnullos Statii locos ad firmandam loci Valeriani explicationem adducamus, cuius poetae ingenio talis dicendi mos non uno in loco placuit. Vid. Theb. XI. 42. *alternus procumbit ager*, quo seges in agro post ventum immissum prostrata indicatur. XII. 159. ss. *Si quando iuvencas Tigridis Hyrcanae ieiunum murmur* (afflavit), *et ipse Auditu turbatur ager*, in quo loco, ut in eiusdem libri v. 365. *fremitu quo territat agros Virginis ira leae*, sub v. *agri* rustici intelliguntur perterriti. Neque dissimili modo *campus mori* (V. 528.) et *nemus irreptare* (IV. 386.) dicuntur.

§. 5.

Praeter ea, quae enumeravimus, vocabula plura restant Epitheta, quibus poetae latini, pictoribus sollertibus comparandi, artem suam vel in minutioribus rebus egregie comprobaverunt. Id enim veteres illi excellenter callebant, uno vocabulo paullo longiorem cogitatorum seriem complecti. Ita in Virgil. Eclog. IV. 40. *Non rastros patietur humus, non vinea falcem; Robustus quoque iam tauris iuga solvit arator.* In ed. Venet. et Parrhas. legitur *robustis*, quod editores recte reiecerunt, e quibus tamen Wagnero id Epitheton mere ornans esse pronuntianti non adstipulor. Contra Vossius scite annotavit, in v. *tauris* iam per se inesse magnitudinis notionem, *robustum* igitur *aratorem* illum depingere agricolam, qui curvato corpore in aratrum incumbens celeriter et eum vi quadam iuvencis suis iugum solvit. Similia sunt: *arator curvus* in Eclog. III. 42., *curvus caelator* apud Iuvenal. Satir. IX. 145. et in Stat. Theb. II. 636. *curvae costae* dicuntur Periphantis, qui fratris moribunda membra solo levabat (v. 630). Maioris et felicioris in dicendo brevitatis index est voc. *avidus*. Vid. Horat. Carm. III. 4, 58.

Hinc *avidus* stetit
Vulcanus —

in quo loco illud vocabulum vel ad naturam ignis vel ad nimiam pugnandi cupiditatem ab interpretibus relatum est. Posteriorem explicationem omnino improbamus, priorem facilius amplectimur, neque tamen ita ut v. *avidus* modo ignem edacem intelligamus, sed maiorem aliquam Horatii artem perspiciamus, qui hoc verbum ad normam vocabuli Homerici ποιπνύων

elegit. Hoc enim non solnm munera hominis famulantis et ad iussa aliorum attenti (ut Il. XVIII. 421. et 475.), sed etiam industriam magnamque virium contentionem designat, ut de Marte ibid. XIV. 155. *αὐτίκα δ᾽ ἔγνω Τὸν μὲν ποιπνύοντα μάχην ἀνὰ κυδιάνειραν:* cfr. Buttmann. Lexilog. T. I. p. 176. Tum eadem sedulitas officiosa est, qua Dii in aedibus Iovis delectantur (I. 600.) *ὡς ἴδον Ἥφαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα.* Itaque Horatins in hoc loco, qui est belli et tumultus plenns, propriam Dei naturam v. *avidus* apte declaravit, quod primo adspectu pugnandi cupiditatem exprimere videtur, qua vero cogitatione statim detrahamur necesse est, ubi Vulcanum Deum fuisse sedulum et officiosum reputamus et maxime alienum a rebus bellicis. Nam his et mores illius et tota corporis forma et cunctans inccssus (*alterni aegro poplite gressus* a Valerio Flacco II. 93. illi tribuuntur) plane repugnant. Non solum igitur excusationem, immo laudem, ni fallor, Horatius habebit, qui h. l. magis ad epicorum poetarum rationem conformavit illumque morem respexit, e quo Epitheta saepe absolute, non relate ad locum, in quo habentur, posita legimus. Vid. supra cap. 2. §. 6. et Introduct. cap. 1. §. 5., ubi similes excitavi locos Horatianos. Peerlkampius p. 267. se hoc Epitheton intelligere non posse fatetur. Eadem ratione idem v. *avidus* invenimus apud poetam epicum Nemesianum in Cyneget. 995. *Huc igitur mecum, quisquis percussus amore Venandi damnas lites avidosque tumultus*, in quo loco *avid. tum.* de eis hominibus intelligo, qui litibus implicati et suarum rerum studiosi praetoris tribunal circumstant, spe aut metu tumidi, unde commotior fit tota rerum civilium in foro facies. Ulitii coniectura *rabidos*, quam Reinh. Sternius probavit, rem a poeta descriptam nimis exaggerare et altera *pavidos* modo timorem et trepidationem indicare videtur, quum contra v. *avidus* et metum et spem pariter significet. Idem Epitheton imponitur *porcae* ab Horatio Carm. III. 23, 4. et ab Ovidio Fastor. I. 349., in quibus locis hoc vocabulum non simpliciter ornat vel bestiam illam, quae Cereris sacris saepius immolabatur, designat, ut quibusdam visum est, sed porcam cibi quidem appetentem et invitam ab eo abstractam atque ad sacrificia instituenda raptam. Duplicem igitur notionem poetae coniunxerunt. Facilioris vero explicationis sunt *avidus Mars* in Claudian. Gigantom. 83., *avidum mare* apud Horat. Carm. I. 28, 18. (male in nonnullis editis est *avidis nautis* [39]), *avidus* mercator apud Nemesian. Cyneget.

[39]) Simili corruptela locus in Stat. Theb. VI. 79. ante Gronovium laborabat, in quo legebatur:

102., qui *praedas sectatur gurgite ponti*, *avidae tigres* apud Lucan. VI. 486. Cfr. Markland. ad Stat. Silv. II. 1. p. 221. ed. Dresd. et Ruhnken. ad Albinov. Eleg. v. 440.

Spes *avidae!* quas non in nomen credula vestes
Urgebat studio?

Locum infeliciter tentavit Barthius, scribens: *quas non vestes male credula mater* fortasse ob scholion in optimo codice adscriptum: „quia mater non credit filium pertingere ad aetatem affectam." Sed matris nulla est mentio, de patre Lycurgo solum locutus est poeta in antecedentibus et in sequentibus versibus. Itaque leni mutatione emendavit Gronovius:

Spes *avidi*, quas non, in nomen credula, vestes
Urgebat studio?

quam coniecturam G. E. Weberus in Corp. Poet. Latin. recepit, non omnino improbante Fr. Dübnero in edit. Statii Paris. a. 1837 (T. II. p. 309), qui tamen non tam confidenter damnat v. *mater*, propterea quod matrum erat filiis texere vestes et simplex v. *credula*, ut in opere muliebri, pro v. *mater* positum sufficere videtur. Nos Gronovium sequimur et verba ita iungimus: quas vestes non urgebat studio spes *avidi* (i. e. Lycurgi patris, nam, notante Gronovio, bonorum parentum vota semper sunt *avida*) credula in nomen (h. e. filii sui erepti Archemori) ut paullo ante v. 77 *in nomen pascebat equos*. Verba *in nomen credula* eo respiciunt, quod pater vocabulum filii (Ἀρχέμορος) non ab incipiendis belli Thebani malis, sed a superandis fatis, quibus quasi dominaretur, dictum sibi finxit. Nam praepositionem *in* poetae ad res efficiendas vel ad id, quod ex agendis rebus proveniat quemve exitum habeat negotium referunt, in quibus saepenumero modus et finis in una notione coniunguntur. Cfr. Stat. Silv. I. 5, 42. *vario fastigia vitro In species animosque nitent* i. e. in species animosque repraesentandos. Theb. VI. 268. *series antiqua parentum — miris in vultum animata figuris*. V. 200. *vigilant nuptaeque nurus in scelus*. IV. 463. *in vulnus cecidere greges* h. e. vulnus iis inferetur, ut moriantur. Lucan. I. 5. *certatum totis concussi viribus orbis In commune nefas*. Tacit. Hist. II. 56. *avidus in omne nefas*. Vid. Bach. ad Ovid. Metam. V. 547. et Hand. Tursell. T. III. p. 308. et p. 310., e quibus idem Bachius ad X. 583. bene adiecit, in talibus locutionibus non tantum directionis in aliquem locum apparere notionem, sed etiam studium poetae omnia vita et motu plenissima quam clarissime repraesentare. Postremum illud ad v. *avidi* omissum Substantivum e superioribus facile potest intelligi, ut exempla docent Wagneri ad Virg. Aen. IX. 730., quibus add. quae contuli supra in §. 3. not.

Porro idem vocabulum ad naturam loci accommodatissime positum invenimus in loco quodam Lucani. Hic legitur in lib. II. v. 71.

> Stagna *avidi* texere soli laxaeque paludes
> Depositum, Fortuna, tuum.

Agit poeta de Mario, qui in fuga prope Minturnas, ut Plutarchus narrat in eius vitae cap. 38., *καθῆκεν ἑαυτὸν εἰς τὴν λίμνην, ὕδωρ παχὺ καὶ τελματῶδες ἔχουσαν.* Erat illius regionis natura palustris, solum tenue atque aquis ob propinquitatem fluminis Liris qui *fonte quieto Dissimulat cursum ac nullo mutabilis imbri Perstringit tacitus gemmanti gurgite ripas* (Sil. Ital. IV. 348 — 350.), irriguum, unde, qui per illa loca paludosa ibant, hoc non sine periculo immergendi facere possent. Quod primum Scholiastae verba confirmant: solum cito haurit quidquid acceperit; tum similium locorum apud veteres scriptores descriptio, ut stagnorum in litore Veneto, aestibus maritimis irriguorum (Liv. X. 2, 3.) vel primorum aestuariorum, quae milites nondum accrescente unda transierunt, apud Tacit. Annal. II. 8., coll. Flor. III. 10, 5. Itaque solum appellatur *avidum*, quippe quod rerum hominumque erat tenax et omnes celeriter imbibere solebat, velut a Statio Theb. VIII. 132. campus, in quo Amphiaraus a terra haustus periit, *locus avidae ruinae* et ab Claudiano in Epigramm. 100, 2. atque ab Ovidio Metam. XIV. 75. Charybdis appellata est *avida.* Similiter apud Virgil. Georg. I. 114. legitur *bibula arena* et *bibulum litus* apud Ovidium Heroid. XVII. 139. cfr. Bach. ad Metam. XIII. 901. Neque male Gronovius in Diatrib. Statian. cap. 40. p. 406. ed. Hand. locum Diodori Siculi I. 30. de Sorbone, exitiosa Aegypti palude, cum nostro loco composuit. Haec sunt Diodori verba: *ἡ μὲν γὰρ ἄμμος ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον πατουμένη τὴν ἔνδοσιν λαμβάνει, καὶ τοὺς ἐπιβάλλοντας ὥσπερ προνοίᾳ τινὶ πονηρᾷ καταπροῦεται, μέχρις ἂν ὅτου λαβόντες ὑπόνοιαν τοῦ συμβησομένου βοηθήσωσιν ἑαυτοῖς οὐκ οὔσης ἔτι φυγῆς οὐδὲ σωτηρίας. ὁ γὰρ ὑπὸ τοῦ τέλματος καταπινόμενος οὔτε νήχεσθαι δύναται, παραιρουμένης τῆς ἰλύος τὴν τοῦ σώματος κίνησιν, οὔτ' ἐκβῆναι κατισχύει, μηδὲν ἔχων στερέμνιον εἰς ἐπίβασιν· μεμιγμένης γὰρ τῆς ἄμμου τοῖς ὑγροῖς, καὶ διὰ τοῦτο τῆς ἑκατέρων φύσεως ἠλλοιωμένης, συμβαίνει τὸν τόπον μήτε πορευτὸν εἶναι μήτε πλωτόν* [40]). Porro adiectum est v. *solum*, ut na-

[40]) In censura editionis Lucani Weisianae (quae legitur in Epherid. Antiq. Darmstad. a. 1836. part. 89 — 91.) loco Lucani laudato contuli verba Homer. ex Il. IV. 171. *καί κεν ἐλέγχιστος πολυδίψιον Ἄργος ἱκοίμην.* Erravi tamen, id quod perspexi e perdocta Welckeri

tura stagnorum eo luculentius appareret, nam, Servio teste ad Virg. Aen. V. 199., unicuique rei quod subiacet est *solum* ei, cui subiacet, vel: *solum* dicitur omne id quod aliquod sustinet. Hinc v. *solum* ut v. *locus* (vid. Bach. ad Ovid. Metam. XIII. 947.) ad uberiorem locorum descriptionem positum est, in qua re Lucretius et Virgilius praeiverunt, quorum ille V. 1208. *solum terrae*, hic Aen. X. 101. *tremefactam solo tellurem* dixit. Denique ipsa Genitivorum sic iunctorum ratio ampliorem v. *solum* descriptionem continet, ut apud eundem Lucanum V. 52. *famae veteris laudantur Athenae* i. e. quae sunt veteris famae. VIII. 223. *Et sequerer duros aeterni Martis Alanos*, qui perpetuo in armis sunt. Ib. 758. *Cornelia — stantis adhuc fati* h. e., quamdiu fato suo usa fuerat florenti. Sil. Italic. VIII. 602. *parvique Bononia Rheni* i. e., quae adiacet ad Rhenum. Cfr. Cort. ad Lucan. V. 52., Oudendorp. ad VIII. 541. et Bach. ad Ovid. Metam. XIV. 252. Neque desunt prosario-

---

disputatione de v. *πολυδίψιος* in Ephemerid. Darmstad. Scholast. a. 1832. part. 31. Nam primum in loco Homerico non urbs Argos, sed Peloponnesus significatur, quod iam Strabo vidit VIII. p. 370., ab Heynio plane neglectus: *ἄλλως τε οὐ τὴν πόλιν λέγει τὸ Ἄργος, οὐ γὰρ ἐκεῖσε ἔμελλεν ἀφίξεσθαι, ἀλλὰ τὴν Πελοπόννησον, οὐ δήπου καὶ ταύτην διψηρὰν οὖσαν.* Tum ne ipsum Argos dici potest siticulosum, quod nonnulli narrationes antiquissimas secuti (vid. Both. ad loc. Hom. cit.) et ipso Scholiasta adiiciente: *πολλοῖς ἔτεσι διψῆσαν*, putaverunt. Strabo id *πλάσμα τῶν ποιητῶν* vocans rem eo mirabiliorem esse docuit *τῆς τε χώρας κοίλης οὔσης καὶ ποταμοῖς διαῤῥεομένης καὶ ἕλη καὶ λίμνας παρεχομένης καὶ τῆς πόλεως εὐπορουμένης ὕδασι φρεάτων πολλῶν.* Idem testatur Aristoteles Meteorologic. I. 14. (quem locum Welckero debeo), terram Argivam olim *διὰ τὸ ἑλώδης εἶναι* perpaucos tantum alere potuisse, posteriore vero tempore uberem fuisse atque opimam (*τῆς δὲ τὰ τότε διὰ τὸ λιμνάζειν ἀργὰ νῦν χρήσιμα γέγονεν.*). Hodie res paullo aliter se rursus habet, ut e Thierschii libro: *Sur l'état actuel de la Grèce*, intelligimus. Scribit hic T. I. p. 283.: „l'Erasinos suffirait seul pour arroser toutes les campagnes altérées d'Argos“ et T. II. p. 25. „La plaine d'Argos est encore aujourd'hui tout aride pendant l'été.“ Ad utrumque locum verba Homerica *Ἄργος πολυδίψιον* adscripsit. Eustathio interprete, quem Welckerus probat, *πολυδίψιον* significat *πολυδιάφθορον πολέμοις* vel *πολύφθορον* quod Strabo et Eustathius T. I. p. 351. ed. Basil. cum verbo Sophocleo *πολύφθορος* ex Electr. 10. composuerunt vel *πολυβλαβὲς διὰ τὴν ἧτταν*, quae est explicatio Etymol. M. p. 681. Minime, ut recte Welckerus statuit, pro Epitheto perpetuo urbis Argivae habendum est.

rum exempla, in quibus per genitivum modus et conditio rei cuiusdam aut hominis describitur, ut apud Cic. p. Coel. 27, 64. *plurimarum fabularum poetriae.* Brut. 70, 246. *Messala — multae operae multarumque causarum.* 83, 286. *Charisius multarum orationum*, gr. πολλῶν ἦν λόγων. Vid. Bernhardy ad h. l. Hac ratione locum Lucaneum expediisse videmur eumque liberum et immunem praestitisse a coniectura *udis*, quam e duobus libris, in quibus est *uvidi*, quod contra metrum peccat, Heinsius, Grotius et Weisius probarunt, repugnantibus E. G. et C. F. Weberis, adstipulante tamen Handio ad Gronov. Diatrib. l. c. Ipse vero Gronovius retinuit *avidi*. Postremum Oudendorpius, qui non plane alienus fuit a loci mutatione, iterum vv. *laxae paludes* mutanda proposuit, sed, ni fallor, nimis argute. Nam *laxae paludes* magnum indicant ambitum regionis limosae et stagnis plenae, ut pluribus Bentleius ad Horat. art. poet. v. 209. docuit, qui tamen a loco Horatiano emendando manum retinere debebat.

§. 6.

Porro cum v. *avidus* componamus v. *pendens.* Scilicet omnia quae in alto sunt et quae ex alto in loca inferiora imminent atque se in illa inclinant vel inclinare videntur, *pendere* a poetis dicuntur. Ita apud Virgilium Aen. V. 147. *Nec sic immissis aurigae undantia lora Concussere iugis pronique in verbera pendent.* X. 586. *Lucagus ut prono pendens in verbera telo Admonuit biiugos.* Sil. Italic. VIII. 283. *Et, praeceps trepida pendens in verbera planta, Impar fertur equis.* Stat. Silv. V. 2, 115. *Ipse ego te nuper Tiberino in litore vidi — Pendentem in cursus vexantemque ilia nudo Calce ferocis equi.* In compluribus editis est *tendentem curs.*, in Venet. et Rom. *pendentem*, quod Gronovius Diatrib. c. 50. (p. 506. ed. Hand.) arripuit, haec adscribens: ita agit equum Crispinus, ut non equitare, sed volare, non campo vehi, sed supra pendere videatur. Tum addidit exempla e Phaedr. V. 8, 1., Propert. IV. 1, 18. et Claudian. in IV. Consul. Honor. v. 544., quibus demonstrat, *pendere cursus* pro *pendere in cursibus* vel *pendentem facere cursus* bene dici posse. Nos Marklandum secuti sumus, qui ex ed. Parmensi praetulit *pendere in cursus*, quod etiam Weberus in Corp. Poet. Lat. recepit. Deinde maxime facit ad v. *pendere* significationem illustrandam locus Silii Italici XIII. 326. seq. de Pane, qui ab Iove missus, ut Troianis auxilium ferret, hac ratione describitur: *pendenti similis Pan semper et imo* (male *uno* vel *unco*) *Vix ulla inscribens terrae vestigia cornu.* Ut enim incessus Deorum levis, celer, volatui magis quam ingressui similis a poetis describitur (cfr. Vossii Epist. Mythol.

Vol. I. p. 138. seq.), ita Pan quoque tam lenis et suspensis pedibus (vid. Wagner. ad Eclog. II. 66. ubi add. Stat. Theb. IV. 118. Aen. VII. 810. seq.) incedit seu inter coelum terramque volare videtur, ut terram vix pedibus attingat. Similes locos interpretes ad h. l. excitaverunt, e quibus etiam patet, Pana non modo duo parva cornua in fronte habuisse, sed δικέρωτα fuisse, nt est in Homericis Hymnis XVIII. 2. Neque minus egregie Ovidius eodem vocabulo usus est in Metam. VI. 667. *Corpora Cecropidum pennis pendere putares; Pendebant pennis. Quarum petit altera silvas, Altera tecta subit* i. e. dum fugiunt Cecropidae, iam quasi pennis sublatae (vid. VIII. 145. XI. 341.) properant atque in altum evehuntur, iam pennis vere in aere pendent. Nam volucres factae sunt, ut in alio loco VII. 377. seq. *Desiluit saxo: cuncti cecidisse putabant; Factus olor niveis pendebat in aethere pennis.* Add. Claudian. de Mall. Theodor. Consul. 322. *Puer — pendula librato figat vestigia saltu*, quae verba facile intelligunt, qui unquam funambulum viderunt. Hinc translate idem verbum ponitur de rebus dubiis atque incerti eventus, ut Lucan. II. 41. *dum pendet fortuna ducum*, vel de hominibus, qui de consilio capiendo ambigunt, ut ibid. IV. 47. *victor — subducto Marte pependit* ubi vid. Cortius. Sed insolita neque probanda est Statii dictio in Theb. I. 434. de Adrasto rege: *magnis cui sobria curis Pendebat somno iam deteriore senectus*, in q. l. *pendebat* tantum v. *erat* circumscribit.

Deinde v. *pendens* non minus pulchre ad descriptiones locorum rerumque naturalium, ut luculentissima efficiatur naturae imitatio, transfertur, ut ad arborem proceram apud Statium in Silv. II. 3, 54. *Illa, Dei veteris imitata colores, Uberibus stagnis, obliquo pendula trunco Incubat atque umbris tutatur amantibus undas*, in q. l. vocab. *incubare* ad imaginem uberius exornandam propriam habet vim. Cfr. Burmann. ad Valer. Flacc. V. 148. et Lenz. apud Hand. ad Stat. Silv. I. 3, 17. p. 367. Idem v. *pendulus* usus est in loco lyrico Horat. Carm. III. 27, 58. *Potes hac ab orno Pendulum zona bene te secuta Laedere collum.* Quae quum simpliciter ita efferri potuissent: potes statim ab hac orno te suspendere, Horatius figuram Europae quasi moribundae et ab arbore pendentis exquisitiore modo depinxit, collum ipsum, cui in tali morte maximae erant partes [41]), dicens *pendulum*. Verbo *laedere*, quod

[41]) Fidem huic observationi aliis faciemus eiusdem dicendi rationis exemplis. Vid. Ovid. Heroid. II. 141. *Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis Praebuerunt, laqueis implicuisse iuvat.* Quae verba

lanius ad h. l. audacius et doctius collocatum esse censet, comparemus Sophocl. Antig. 54. *πλεκταῖσιν ἀρτάναισι λωβᾶται βίον.* Porro vid. Statium Silv. I. 2, 151. *Pendent innumeris fastigia nixa columnis.* Quae verba ut bona et integra Handius a Marklandi coniectura *splendent* recte Statio vindicavit. Neque enim solum a multitudine columnarum laudatur domus, sed etiam ab artificio architecti, qui tectum tam scite aedificavit, ut columnis licet impositum, attamen per se suaque vi sola consistere videretur. Cfr. Martial. II. 14. *Inde petit centum pendentia tecta columnis.*

Ut vero aedes et tecta *pendere* et suo quodam pondere se sustinere dicuntur, ita coelum et nubes eadem ratione a poetis describuntur, ut capitibus nostris quidem immineant, sed nullis firmamentis vel adiumentis usae liberrima et amoenissima ratione oculis offerantur. Quod quantum ad imaginem explendam sensusque suaviter commovendos valeat, non est quod exponam. Vid. Georg. I. 277. *Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent* i. e. nubibus terrae ingruentibus et in imbres nondum solutis. Ovid. Metam. I. 268. *Utque manu lata pendentia nubila pressit, Fit fragor* VII. 580. *Membraque pendentis tendunt ad sidera coeli*, quod de spissis nubibus, quae ob pestilentiam depressae sunt et pendent e v. 518. interpretantur. Hinc vana est Burmanni suspicio legentis *perdentis — coeli* [42]). Add. Sil. Italic. XVII. 358. seq. *Tum supplex Iuno, Neque ego mutare laborans, Quis est fixa dies, pendenti nube resedi.* Audacissimum esse Barthii commentum, qui in Advers. X. 13. hoc Epitheton esse ineptum contendit, iam Heinsius recte indicavit. Quis enim non videt per hoc vocabulum, in quo libri omnes conspirant, imaginem pulchre exornari et Iunonem, quam v. 341. cuncta *aeria specu-*

---

ob affectationem aut lusum, ut Loersius fecit, ego non vituperaverim, immo poeticae narrationi admodum convenire videtur, quod Phyllis collum, cui perfidus ille Demophoon brachia sua toties iniecerat, punire in animo habet. Simili ratione Oedipus in Sophoclea fabula (v. 1271. sq.) oculos suos punit propterea quod facinora, humanis oculis non adspicienda, viderunt, et in operis caelati descriptione Danae commemoratur *culpata sinus* a Statio Theb. VI. 287. Neque aliter Macbethia illa in nobilissima Shakspearii tragoedia (Act. V. sc. I.), insano furore correpta, manum lavare et sanguinem ab illa, quae marito suo pugionem praebuit, detergere annititur.

42) Praeclare Schillerus in Cassandra:

Und des Donners Wolken *hangen*
Schwer herab auf Ilion.

lantem nube Silius dixerat, hanc nubem, pugnantibus Romanis atque Saguntinis proximam suo iure *pendentem* dicere posse? Ad hoc dicendi genus *pendula* gruum cum Pygmaeis *bella* apud Claudian. Bell. Gildon. 474. referri possunt, in qua locutione Gesnerus pulchram poetae phantasiam laudat, quum etiam grues contra terrestrem hostem, Pygmaeos, pugnantes suspendere se subiude soleant pennis. Multo minus vero Statius laudari potest, qui ita de equo vulnerato in Theb. IX. 285. locutus est: *Exsiluitque alte vi mortis et aera pendens Verberat.* Cum illa rerum coelestium appellatione cohaeret, quod et rupes, scopuli aliaeve res altae et qui in iis errant, vivunt atque versantur a poetis *pendentes* nominantur. Virgil. Aen. I. 166. *Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum* coll. Stat. Silv. II. 2, 15. seq. *Montique intervenit udum Litus et in terras, scopulis pendentibus, exit.* Claudian. in Rufin. II. 507. *dubio tibi pendula rupes Immineat lapsu.* Alterius significationis ex uno Silio Italico exempla haec sunto. I. 128. *Cuius in aërio pendent tua vertice castra* [43]). III. 556. *Castraque praeruptis suspendunt* (cfr. Aen. VIII. 190. Sil. XII. 532. Stat. Achill. I. 107.) *ardua saxis.* VI. 645. *Excelso summi qua vertice montis Devexum lateri pendet Tuder.* Add. Lucan. I. 434. seq. *Qua montibus ardua summis Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas*, tum VII. 369., VIII. 590. et Virg. Eclog. I. 27. *Viridi proiectus in umbra Dumosa pendere procul de rupe videbo* (capellas), e quo loco oppositio v. *proiectus*, i. e. iacens vel sedens, apparet. Vid. Heinsius ad Aen. 586., Drakenb. ad Sil. Italic. VI. 546. et ad XII. 132., Markland. et Haud. ad Stat. Silv. I. 3, 41. ubi add. Theb. VI. 256.

Quum igitur in rupium et scopulorum descriptione aliarumque rerum naturalium adumbratione latini poetae admodum frequenter v. *pendere* adhibere solerent, non mirum est, quod in picturis proponendis atque in imaginibus sub lectorum oculos revocandis eodem vocabulo non raro usi sunt. Cuius generis locum habes ex Aen. VIII. 632. seq., *Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros et lambere matrem Impavidos*, quam imaginem nummis tabulisque crebro expressam (vid. Mülleri Archaeol. Art. Vet, p. 665. Heynii librum:

---

[43]) Iterum Schillerus testis advocetur, qui in Ambulatione sua ita scripsit:

Wild ist es hier und schauerlich öd! Im einsamen Luftraum
Hängt nur der Adler und knüpft an das Gewölke die Welt.

Archäol. Vorles. seq. **403.** et Niebuhr. Hist. Rom. Vol. I. p. 138.) Virgilius v. *pendentes* bene declaravit. Sed paullo difficilior eiusdem vocabuli interpretatio est in loco Iuvenalis Satir. XI. 107. In quo postquam poeta morem rudium Romanorum, quo praestantissima artium opera aut frangere aut in usus militares convertere solebant, acerbe perstrinxit, ita pergit v. 102.

Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, caelataque cassis
Romuleae simulacra ferae mansuescere iussae
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo venientis et hasta
Pendentisque Dei perituro ostenderet hosti.

Ne diversas priorum interpretum et Lessingii in Laocoont. T. II. p. 201 — 207. edit. a. 1827. sententias repetam, quae mihi de his versibus statuenda esse videntur, paucis comprehendam. Miles Romanus e praeda urbium Graeciae captarum triplici ornamento, cuius argumentum e prisca urbis Romae historia petitum est, galeam suam exornabat. Aut enim lupam i. e. feram Romuleam in galea caelatam habebat aut Romulum et Remum sub rupe ludentes aut ipsum Martem, conditorem imperii, qualem Aetoli in galeis gestasse a Statio in Theb. IV. III. narrantur: *patrius stat casside Mavors.* Cfr. VIII. 708. *Quique apicem torvae Gradivus habebat Cassidis*, *haud laetum domino* (i. e. Tydeo) *ruit omen.* Scio haec ab aliis aliter intellecta esse, quae nunc omitto, id unum observans, tria illa signa non coniunctim in una galea accipienda esse, quod iam forma et magnitudo galearum Romanarum dissuadet. De vv. 104. et 105. nulla ab interpretibus lis mota est, sed in vv. 106. et 107. singula fere vocabula explicatione egent. Primum Martis effigies dicitur *nuda*, quo vocabulo C. Schraderus in docta commentatione de h. l., Stendaliae a. 1831. edita, p. 10. Martem nullo vestimento indutum significari recte pronuntiavit. Idem idoneus talium rerum index, Odofr. Müllerus in Archaeol. Art. Vet. p. 464. seq. ostendit, Deos stantes, qui aut auxilii afferendi causa aut ad pugnam ineundam aut ad aliud quodcunque negotium pro hominibus obeundum, advenirent, sine ullo vestitu ab artificibus pictos aut caelatos fuisse [44]).

[44]) Idem p. 466. haec addit: „*Wie man im Leben den im blofsen Chiton γυμνὸς nennt, so stellt die Kunst, welche den Chiton mit Idealgestalten nicht vereinigen kann, einen solchen wirklich als γυμνὸς dar.*“ Vid. de priore significatione Cuper. Observat. I. 7. p. 37. We-

Tum Deus *clypeo* et *hasta* instructus *venit*. Omissionem praepositionis *cum* Schraderus p. 11 — 15. uberius illustravit, non immemor praecepti Kritzii ad Sallust. Catil. 57, 4. in iis dictionibus, quae habitum quendam et modum indicant vel ad rem militarem pertinent, ablativum suapte vi e verbo pendere, ubi nostra loquendi ratio praepositiones *cum*, *ab* vel *per* postulet. Add. Aen. IX. 815. *Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis In fluvium dedit.* Simili modo in VII. 187. *Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea* vv. *Quir. lit.* ablativi sunt instrumenti seu insignium regis, quam ob causam praepositio omitti potuit. Neque, annotante Wagnero, ad Zeugma in h. l. confugiendum est. De omissione praepositionis *cum* comp. Ruddimann. Instit. Grammat. T. II. p. 268., tum Drakenbenb. ad Liv. I. 14, 7., Creuzer. ad Cic. de legg. III. 16, 37. et ad libr. de republ. II. 3. p. 202. et Wagner. ad Aen. IV. 517.

Tertium, ad quod in loco Iuvenalis attendendum est, v. *venientis* est. Schraderus p. 9. et 10. hanc lectionem unice probat neque locum ulla mutatione egere recte censet. Explosa enim Scholiastae Pithoeani interpretatione: Martis ad Iliam venientis, ut concumberet [45]), Martem belli et pacis potentem ut Deum, qui auxilium armis Romanorum fert, in casside caelatum esse vult, qua de causa v. *venire* p. advenire, ut aliis in locis, ita et hic poni contendit. Sane v. *venire* de Deo auxiliante apte Schraderus interpretatus est, cuius sententiam hi loci firmant: Aen. VII. 470. de Turno: *se satis ambobus Teucrisque venire Latinis* i. e. et ad bellum cum illis gerendum et ad auxilium his ferendum. Tum Pan apud Ovidium Metam. XI. 155. *ausus Apollineos prae se contemnere cantus Iudice sub Tmolo certamen venit ad impar* i. e. animo ad certandum composito. Cfr. Burmann. ad Phaedr. Fab. I. 21. Deus vero *pendens* — ut ad primarium disputationis argumentum veniamus — est Deus super galeam recta figura caelatus et

---

ber. ad Iuvenal. p. 148. cf. Böttiger. de quatuor art. scenic. aetat. p. 17. (p. 340. ed. Sillig.).

[45]) Schraderus hanc interpretationem non recte plane ineptam dixit, immo Scholiasten sua doctrina iusto plus utentem perstringere debebat. Amabant enim veteres Romani in anaglyphis et aliis artium monumentis Martis cum Ilia amorem vario modo exprimere, teste Müllero in Archaeolog. p. 546. Müllerus l. l. Iuvenalis verba apposuit, sed nimis breviter, quam ut de ipsius sententia certi quid colligi possit.

cum anteriore parte corporis sese inclinans, ut signum sit animi ad auxilium in pugna ferendum promti et parati [46]). Quae significatio pluribus locis, quos statim ab initio commemoravi, ut Aen. V. 147. X. 586. Sil. Ital. VIII. 283., XIII. 325. al., maxime confirmatur. Denique *periturus hostis* ad imaginem egregie absolvendam aptissimus est. Nam hostis non solum per militem Romanum in se irruentem maximo terrore commovetur, sed etiam adspectu Dei bellicosissimi in galea militis exstantis et suis quasi viribus pro Romano pugnantis (veluti illa Chimaera in Turni galea Aen. VII. 787. in pugna exardescere atque flammas exspirare visa est) tanto horrore corripitur, ut de vita diutius pugnare absistat summque ingulum Romano trucidandum praebeat. Sic ab Iuvenale Sat. VI. 435. Elissa appellatur *peritura* i. e. morti devota. Cfr. Lucanum Pharsal. II. 65. *Tales pietas peritura querelas Egerit:* nam e poetae mente pietas exitio est devota et nulla diutius erit bellis civilibus exortis. V. 427. *Navita — summa — pandens Suppara velorum perituras colligit auras* i. e. auras, quibus nos fidere non possumus, quae per breve tantum tempus flant.

---

[46]) Verba Schraderi haec sunt: „Wir sehen also hier nur den Mars in eiligem Laufe über den Helm hinhangend, in der Haltung eines nahenden Beschützers."

Pars altera.

De Epithetis Translatis.

Caput primum.

De simpliciore Epithetorum Translatorum genere.

Omnis Adiectivorum et Epithetorum translatio in eo cernitur, quod ea Substantivis iunguntur, ad quae proprie non pertinent. Cuius quidem mutationis classes constituimus tres. Prior est illorum Adiectivorum, quae pro Genitivo vel alio casu, cui aptanda fuerunt, tribuuntur casui, quem dicunt, regenti, altera, quae Adiectiva vel Epitheta, quae casui regenti adiungenda fuerunt, Genitivo aptat, tertia, quae duo inter se permutata Epitheta complectitur. In quo argumento persequendo non mediocriter nos adiuvit Obbarii, viri doctissimi, de Transpositione Adiectivorum commentatio, quae legitur in Diariis Scholast. Darmstad. a. 1832. Part. 160. Sed hac occasione, quam facilis sit in communi labore observationum philologarum consensus, novo exemplo edocti perspeximus [1]). Nam quum uterque nostrum in explanandis poetarum Romanorum monumentis versaretur, aliter fieri non potuit, quin e lectione poetarum, e disquisitione et comparatione locorum idoneorum, denique e constitutione certarum quarundam legum consensus quidam exsisteret, fontibus, e quibus talia hauriuntur, utrique nostrum apertis. Obbarii vero commentatio quum meo libro prior lucem vidisset, equidem locis, quae pro fundamento illius

---

[1]) Certorum hominum causa non supervacaneum erit lectores ad ea revocare, quae de hoc consensu inter viros doctos praeclare disputavit Iacobsius in epistola ad Meinekium, quae est praefixa Lectionibus Stobensibus, p. X — XIX.

sunt, tum iisdem tum similibus pro virili parte comportatis et ad eundem finem dispositis, non dubitavi in hoc primo capite (nam sequentia Obbarius non tetigit) in eadem via procedere, quam illum bono cum eventu ingressum esse video. Qui autem singuli loci ex illa commentatione deprompti sunt, eos accurate et fideliter, ut par est, indicabo. In fine monendum est, hunc locum de Adiectivis Translatis post Obbarium et post ea, quae ipse in sequentibus commentatus eram, iterum tractatum esse a Fr. Lübkero, viro accuratae doctrinae, in libri sui: *Grammatische Studien*, Fascic. I., qui inscriptus est: *Studien zur Syntax des Adiectivums und des Adverbiums in den alten Sprachen* p. 22 — 27. Sed ratio illius disputationis et exemplorum, quae magna ex parte Obbario se debere ingenue fatetur, collocatio ab Obbariana ratione multum diversa est neque ipse, quum mea iam perfecta et absoluta essent, ad librum Lübkeri in singulis locis respicere potui. Add. Meyerum in Comment. de Epith. Ornantib. p. 13 — 15.

§. 1.

Primum simplicioris translationis genus est hoc: Adiectivum, quod Genitivo vel alii casui aptandum fuit, tribuitur casui, quem dicunt, regenti. Ita Virgil. Georg. II. 143. *Et gravidae fruges et Bacchi Massicus humor* pro: humor Bacchi Massici. Aen. I. 169. *Unco non adligat ancora morsu* i. e. ancora adunca. VIII. 526. *Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor* pro: Tyrrhenae tubae clangor, ut brevius et inusitatius apud Stat. Theb. VI. 404. *Insonuit contra Tyrrhenum murmur.* Aen. X. 426. *At non caede viri tanta* (pro *tanti*) *perterrita Lausus.* XII. 199. *Vimque Deûm infernam et duri sacraria Ditis.* ibid. 739. Postquam arma Dei ad *Vulcania ventum*, *Mortalis mucro — Dissiluit.* Alius dixisset: arma divina Vulcani seu arma Dei Vulcania: vid. Wagner. ad utrumq. loc. Similiter Lucretius V. 24. *Quid Nemeaeus enim magnus nunc nobis hiatus Ille leonis obesset* pro: hiatus Nemeaei leonis, ubi vid. Iacobs. Anthol. Latin. P. II. p. 332., Statius Silv. II. 1, 97. *Quid te post cineres deceptaque funera matris* p. matris deceptae. IV. 6, 56. *Tenet haec marcentia pocula fratris* p. marcentis fratris, qui frater est Bacchus, observante Marklando (p. 306. Dresd.), proprie *marcidus* appellatus. Hi loci sunt ex copiis Obbarii, apud quem vide similes ex Horatio, Ovidio et Propertio collectos. Quibus haec adiungamus e poetis epicis. Sil. Ital. II. 167. *Asbytes — Poscebat rotis gemmataque lumina peltae* p. pelta gemmis fulgens. v. 211. *At simul aerati radiavit luminis umbo* i. e. clipeus aerea bractea inductus et fulgurans. III. 423. *Possessus* (Her-

cules) *saeva Bebrycis in aula*, in q. l. *saevus* proprie ad Amycum, Bebrycum principem, refertur: cfr. Valer. Flacc. IV. 746. VII. 558. et Burmann. ad l. 370. Apud eundem Silium V. 137. est: *Scylla super — saevosque canum pandebat hiatus* pro: hiatus canum saevorum. XV. 227. *At qua prospectat* (Carthago) *Phoebi iuga sera cadentis* de iugis, ad quae Phoebus serus, ad vesperum, advenit, quibus verbis Ernestius e Virgil. Georg. I. 461. vv. *serus Vesper* comparavit. Transeamus ad Statium. Theb. III. 559. *At non prior aureus ille Sanguis avûm, scopulisque satae vel robore gentis Mentibus hoc ausae*, in quo loco vel genitivi *avorum aureorum* paullo durius positi essent, licet Theocrit. Idyll. XII. 51. homines illius aetatis χρυσείους appellaverit ἄνδρας, cuius tamen dicendi rationis apud Statium non rara sunt exempla, ut Silv. III. 3, 58. *Nec erubuit famulantis fistula Phoebi.* Theb. XI. 238. *Victorque furit per viscera Nessus* i. e. sanguis Nessi. Lenioris sunt translationis loci Theb. I. 64. *Si — trifidaeque in Phocidos arcto Longaevum implicui regem.* V. 595. *animae — fugam per membra tepentem Quaerit hians.* VI. 495. *Anguicomam monstri effigiem, saevissima visu, Ora movet.* VII. 531. *Protinus ira minor gaudentque in corpore capto Securam differre famem* h. l. ipsi leones securi. Ibid. 716. de Amphiarao: *iam fraxineum dimiserat hastae Robur*, in quem locum, ut in alios huius generis, id cadit, quod Iacobsius iure observavit ad Anthol. Palat. VI. pr. 230., in periphrastica circumlocutione Epitheton plerumque copulari cum eo, quod periphrasin faciat. His adde alium Statii locum e Theb. III. 607. sq. Capanei sunt verba:

Quae tanta ignavia, clamat,
Inachidae? vosque o socio de sanguine Achivi,
Unius (heu pudeat) *plebeia ad limina civis*
Tot ferro accinctae gentes animisque paratae
Pendemus?

In quo loco plane supervacanea erat Barthii defensio lectionis *Phoebea ad lim.* et damnatio illius, quam modo commemoravimus. Nam licet Apollinis in sequentibus mentio fiat cum impia irrisione, tamen hic *limina Phoebea* non de aedibus Amphiarai, qui Dei eiusque oraculorum cultor et interpres erat, poni possunt. Sed *limina plebeia* sunt limina hominis de plebe et hanc ob causam non satis validi, quem (i. e. Amphiaraum) Capaneus, cuius numina sunt *virtus* et *ensis* (v. 615.) contemnit, quemque prae nimio timore exire nolle Deique oraculum tantum praetendere gravibus verbis significat. Itaque recte G. E. Weberus ad h. l. in Poesis Latin. Delectu p. 215.: „Am-

phiarai limina dicuntur pro privatis; quamquam enim regii sanguinis et regis filiam, Eriphylen Talai, Adrasti sororem in matrimonio habens, ipse tamen non regnabat, sed rex erat Adrastus." Idem vocabulum legitur in loco Silii Italici VIII. 243., qui est plenus indignationis: *Subnixus rapto plebeii muneris ostro Saevit iam rostris Varro*, quo poeta Terentium Varronem munus suum tantum favore plebis et cum gravi Patrum indignatione consecutum esse indicat.

Eadem transpositionis Epithetorum ratio graecis Tragicis et Lyricis admodum adamata fuit, de qua Lobeckius ad Sophocl. Aiac. 7. p. 73. ed. sec. recte scripsit: incassum quaerimus, per quos gradus a lenibus principiis provecta sit huc usque transferendi audacia et quid fuerit audentibus extremum. Nonnulla exempla haec sunto. Soph. Antig. 793. *σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀνδρῶν ξύναιμον ἔχεις ταράξας.* Philoct. 1123. (al. 1108.) *καὶ ποῦ πολιᾶς πόντου θινὸς ἐφήμενος*, quod Homerus proprie *θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς* dixit. Oedip. Tyr. 70. *Κρέοντ' — ἐς τὰ Πυθικὰ ἔπεμψα Φοίβου δώμαθ'*, coll. v. 243. *ὡς τὸ Πυθικὸν θεοῦ μαντεῖόν ἐξέφηνεν ἀρτίως ἐμοί.* In his oraculum co significatur Adiectivo, quod proprie Apollini Deo tribuendum fuit. Ita apud Virgil. Aen. VIII. 526. et XII. 739., quos locos paullo supra adscripsimus. Eurip. Phoeniss. 300. *ὦ ξυγγένεια τῶν Ἀγήνορος τέκνων — γονυπετεῖς ἕδρας προσπιτνῶ σ' ἄναξ*, ubi Porsonus coniecturam Valkenaerii *γονυπετεῖ σ' ἕδρᾳ* recte repudiavit. 30. *ἡ δὲ τὸν ἐμὸν ὠδίνων πόνον* (al. *τῶν ἐμῶν*) *μαστοῖς ὑφεῖτο* i. c. meum partum [2]). 1370. *ἀνάγετε κωκυτὸν ἐπὶ κρᾶτά τε λευκοπήχεις κτύπους χροῖν.* Plura exempla ex Euripide, Aeschylo, Pindaro et aliis poetis collegit Lobeckius in docta annotatione, quam modo laudavimus, p. 73 — 75., add. Matthiaeus in Grammat. Ampl. T. II. §. 446. not. I. p. 835. et ad Eurip. Phoeniss. 30.

Porro Obbarius vestigia illius translationis vel apud scriptores orationis pedestris inveniri observavit, ut apud Cicer. de nat. Deor. II. 39, 98. *Adde huc fontium gelidas perennitates.* Orat. p. leg. Manil. 9, 22. *Ut eorum* (Absyrti membrorum) *collectio dispersa, moerorque patrius celeritatem persequendi retardaret*, in quo loco Goerenzius ad Cic. de fin. III. 4. p. 326. frustra coniecit *dispersorum*, obloquentibus suo iure Matthiaeo ad h. l. et Handio ad Wopkens. Lect. Tullian. p. 342.,

---

[2]) Ut hic *πόνος ὠδίνων* de filio dicitur, cuius partum dolores matris in puerperio praecesserunt, ita apud Sil. Italic. III. 75. *labor* ponitur de Hannibale puero, qui laboris erit causa et occasio, in his verbis: *Ni praesaga meos ludunt praecordia sensus Ingens hic terris crescit labor.*

quibus accedit Ramshornius in Grammat. Lat. §. 206. 3, 6. p. 696. bene observans, ne numerorum quidem causa a Cicerone genitivum *dispersorum* hic poni potuisse. Liv. II. 51, 7. *hesterna felicitate pugnae ferox*, ubi Perizonius sine idonea causa *hesternae* legendum esse censebat. His Obbarii exemplis add. Cic. Epp. ad div. XV. 2, 6. *ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata* i. e. indicia manifesta insidiarum. Liv. XLIV. 10. *Ultima necessitas* — animos militum Romanorum, simul *desperatione alia* (i. e. alius) *salutis simul indignitate irritavit.* Tacit. Histor. III. 20. *Noctem et ignotae situm urbis* pro: situm urbis ignotum, nam urbem aliquam in propinquo esse Autonius minime ignoravit, sed situm illius urbis. Cfr. de usu Tacitino Walch. ad Agricol. p. 138., tum Cortium ad Cic. Epp. l. c., Hand. l. c. et Kritz. ad Sallust. Catilin. 53, 6.

§. 2.

Alterum simplicioris translationis genus est hoc: Adiectivum seu Epitheton aptatur Genitivo seu alii casui, quod proprie casui regenti adiungendum fuit. Primum haec apposuit Obbarius ex Ovid. Trist. I. 3, 6. *discedere* — *Finibus extremae iusserat Ausoniae* pro: finibus extremis. 8, 39. *Ponti quos habet ora sinistri.* Senec. Agam. 38. *sortis incertae fides.* Virgil. Georg. IV. 484. *Atque Ixionii vento rota constitit orbis* i. e. orbis rotae Ixioniae vel: rota, in qua Ixion per orbem agitari solebat, vento sopito constitit. His idem vir doctus plures locos ex Horatio, Cicerone, Livio adiecit, ut ex huius I. 4, 4. *ad iusti cursum amnis.* II. 51, 4. *Post acceptam proximae pugnae cladem* et alios. Deinde ad hoc genus referimus Statium Silv. V. 1, 132. *Dum te pulverea bellorum in nube videret Caesarei prope fulmen equi* i. e. prope Caesarem, in equo insidentem et fulmina iacientem, et in Theb. X. 470. *Qui tremor illicita coeli de lampade tactos Hic fixit iuvenem.* Ad hoc voc. *illicita* recte Lactantius: a longinquo Epitheton traxit, eo quod non liceat loca tangi, ubi iaceant fulminati." De re ipsa vid. Artemidor. Oneirocr. II. 8. et Ammian. Marcell. XXIII. 5., laudante Barthio, quibus add. Müllerum in libro: *die Etrusker*, Vol. II. p. 172.

Quum igitur nefas esset loca fulgurita adire vel in iis versari, voc. *illicita*, quod v. *lampadi* adiunctum est, proprie spectat ad homines, qui illicita faciunt. Sed quum fulminum ea vis sit, ut loca, in quibus iaceut fulminati homines, reddant aliis hominibus illicita neque pervia adeuntibus, hoc statim per Epitheton adiunctum declaratur, licet ipsum fulmen minime sit illicitum. Sensus igitur hic est: Amphion tali tremore ob ingentem mortuorum in campo numerum perculsus est, qualis

solet invadere homines fulmine tactos, id quod talia loca ipsa facere solet illicita. Sed recte addidit Barthius: „non contra morem Papinii est nova, si non illicita, loqui.“ Neque tamen ex eiusdem sententia *tactis* legendum est i. e. tactis iis qui sunt illiciti tangi, quippe fulmine percussi. Nam ad *tactos* assumendum est v. *fixit*. Eiusdem translationis, sed multo minus audacioris, est locus Ovidii Trist. V. 6, 3. *Tu quoque suscepti curam dimittis amici* pro: susceptam curam amici dimittis. Nam praeter illum transponendi morem Iahnius ad h. l. et ad II. 307. acute animadvertit, v. *amici*, quod per se in hac verborum iunctura minus grave vel necessarium est, tum modo in fine versiculi servari posse, si grammatica ratione vis eius augeatur. Hoc vero ita efficitur, ut in medio versiculo verbum ponatur, quod grammatica ratione cum illo cohaeret, neque ut v. *amici* omittatur, patitur. Sed nulla translatio est in loco Aeneid. VI. 10. *At pius Aeneas arces — horrendaeque procul secreta Sibyllae — petit.*, ut in P. 1. cap. 1. §. 4. docuimus. *Horrendam* enim dixit poeta Sibyllam, de qua Aeneas nihil nisi magna et terribilia perceperat, neque ulla mali aut sinistri admixta est notio, quae nos ad translatum Epitheti usum confugere cogat. Paullo insolentius et cum brachylogia quadam idem locutus est in Aen. V. 542. *Nec bonus Eurytion praelato invidit honori.* Heynius duplici modo locum est interpretatus, primum v. *praelatus* explicans per v. *praereptus*, quae tamen significatio caret idoneis exemplis, qua de re G. E. Weberus in corp. Poet. Latin. eum sequi non debebat. Praestat altera illius interpretatio, e qua breviorem Virgilii sermonem ita explevit: nec invidit Eurytion Acestae, quod ipsi praelatus, isque honor, quem ipse speraverat, ad illum translatus est. Probat haec Wagnerus. Aptatur igitur Epitheton dativo, quod proprie ad ipsum Eurytionem, cuius honor minor quam Acestae honor habebatur, pertinet. Sed ea de causa, Wagnero annotante, voc. *praelatus* non est continuo i. q. *delatus*, ut Oberlinus putat, perperam hunc Virgilii locum ad explicandum Tacitum Histor. V. 1. adhibens. Verba sunt haec: *Titus perdomandae Iudaeae delectus a patre et praelatis utriusque rebus militiae clarus tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis.* Bachius vv. *prael. utr. reb.* melius quam Oberlinus interpretatus est: quum uterque (pater et filius) res gestas prae se ferret eamque significationem idoneis locis Annal. II. 53., XIII. 3., XIV. 57. stabilivit. Idem ex Wagneri annotatione addere potuit, hanc egregiam locutionem a titulis in pompa triumphali praeferri solitis ductam esse. In fine locum afferamus Sallustii Iugurth. 15, 5.

Is (Aemilius Scaurus) *postquam videt regis largitionem famosam impudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta libidine continuit.* De quo loco optime Kritzius disputavit. *Pollutus* enim, quo proprie significatur res *maculis contaminata*, translate de omni, quod foedum et detestabile factum est, ponitur; sed tamen audacius Sallustius *id ipsum pollutum* dicit, quo proprie *homines* vel *hominum animi polluti* dicuntur: polluuntur enim quae suapte natura pura, integra et incorrupta esse debent: cfr., quem Kritzius laudavit, Doederlin. Synonym. Lat. T. II. p. 54. et add. Oudendorp. ad Lucan. Pharsal. II. 480.; *licentia* autem quum per se iam bonos dedeceat, polluit potius quam polluitur. Sed Sallustius latiore sensu licentiam omnem modum egressam significat, unde *polluta* h. l. idem est quod *foeda* et detestabilis.

§. 3.

Tertium genus est duorum Epithetorum, quae inter se commutantur [3]). De his ita scribit Obbarius: „Duo Adiectiva inter se permutantur, ut apud Horat. Od. I. 1, 22. *Nunc ad aquae lene caput sacrae* (ibique Mitscherlich. et Braunhard.) pro: ad aquae lenis caput sacrum. Ovid. Her. XVIII. 144. *Aurea lanigero vellere vexit ovis.* Stat. Silv. III. 4, 84. *Huic et purpurei cedet coma saucia Nisi*, i. e. coma purpurea saucii Nisi. His locis similis est qui legitur apud Sophoclem in Philoct. v. 1289. (1273. Herm.) *ἀπώμοσ' ἁγνοῦ Ζηνὸς ὕψιστον σέβας*, ubi Wakefieldus et Porsonus ad Eurip. Med. 750. ex coniectura *ἁγνὸν* et *ὑψίστου* proposuerunt. Ex iis, quae attulimus,

---

[3]) Iis, qui de Epithetis duobus uni nomini accumulatis scribere volunt, otium fecit Wagnerus in praeclara sua annotatione ad Aeneid. V. 24., quibus comparentur quae idem ad II. 53. et VIII. 559. disputavit. Aliorum poetarum locos collegerunt Burmann. ad Virgil. Eclog. IX. 5., Wagner. ad Valer. Flacc. V. 245. et 405. Weichert. ad VIII. 403. et in Epist. Critic. p. 52. s., Ilgen. ad Virgil. Cop. v. 3., Obbarius in Seebodii Horreo Philol. a. 1824. I. p. 145. sq. Bach. ad Ovid. Metam. I. 165., V. 513., VII. 272., IX. 226., XV. 229. et 364., Corn. Müller. in Spicileg. Animadv. in Catulli Carm. in nupt. Pel. et Thetid. V. 227. p. 28. De prosariis scriptoribus Ochsner. ad Olivet. Eclog. Cicer. p. 167. et Ramshorn. Gramm. Lat. §. 152. 8. egerunt. Graecam dicendi rationem Lobeckius ad Soph. Aiac. V. 134. p. 129. idoneis exemplis, ut Homer. Il. XI. 32., Odyss. IX. 322., Hesiod. Theog. 566., Eurip. Hel. 908., Hercul. Fur. 364. aliisque illustravit: add. Aesch. Sept. c. Theb. 85. Soph. Trach. 552. et Wüstemann. ad Theocrit. XIV. 67.

sua sponte apparet, non opus esse tali emendatione: sed ipsa quodammodo transpositio tollitur Hermanni observatione, Iovem ἁγνὸν ab Aeschylo in Supplic. 661. vocari indicantis. Quidquid est, si Adiectivorum rationem ad veritatem revocaveris, nulla erit transpositio in Virgil. Aen. VI. 268. *Ibant obscuri sola sub nocte*, quamquam Ruddimannus in Institut. Grammat. Lat. T. II. p. 394. sic interpretatur: soli obscura sub nocte. Vocab. *sola* h. l. est nostrum *einsam*, ut saepe aliis locis: cfr. Burmann. ad Propert. II. 7141. Add. Claudian. de nupt. Honor. et Mar. v. 241. *Cunctatur stupefacta Venus: nunc ora puellae Nunc flavo niveam miratur vertice matrem.* Ita Gesnerus recte casus duorum Epithetorum commutavit, nam ante eum erat editum: *nunc flavam niveo miratur vertice matrem*, haec addens: mirabor ego Venerem, aut Iuvenem adeo, si mirari et pulchram putare possit mulierem *flavam* cum *niveo* h. e. cano *vertice*. — Non provoco nunc ad consuetudinem librariorum, solemnia in tali re peccantium; sed ad conscientiam eorum, qui poetae sunt, vel cum poetis familiaritatem habent. Barthio et Heinsio, poetis, fraudi fuit, quod abstrusius aliquid hic latere suspicarentur."

Caput secundum.

De Adiectivis et Epithetis Translatis ad totam enuntiationem pertinentibus.

§. 1.

Hactenus de Epithetis, quae sunt simplicioris translationis. Ad ea igitur progrediamur, quae miram latini sermonis celeritatem atque iucundam singularum notionum permixtionem praecipue declarant, quippe quae non ad unum vocabulum pertineant, sed ad totam verborum complexionem sese applicent. Haec vero Epithetorum vis ut in ipsa Adiectivorum natura posita sit, prius in hoc capite doceamus. Talia in linguis recentioribus saepe per Adverbia significari solent, quae non uni vocabulo, sed toti enuntiationi inserviunt, antiquis vero populis alia placuit ratio. Nam quum Adiectivorum esset usus latissimus eaque permultis rebus tribui possent, veteres primarium enuntiationis vocabulum elegerunt, cui Adiectivum solita et grammatica ratione iungerent, vim vero illius et naturam non tam arctis circumscribentes limitibus, ita ut ad totam enuntiationem intelligi et ad singula vocabula apud mentem repeti posset. Vid. Cort. ad Lucan. Pharsal. III. 28. Bach. ad Ovid. Metam. IX. 691. Ad quam rem demonstrandam tria laudabo exempla

ex Virgilii Aeneide, quorum primum legitur in libri quinti v. 387.

Hic *gravis* Entellum dictis castigat Acestes

in quo loco v. *gravis* minime de aetate, ut Nonius p. 314. ed. Mercer. voluit, accipitur, neque plane idem denotat, quod Adverbium *graviter* significaret, aut si scriptum esset *gravibus verbis.* Contra ad unum Acestem, hoc vocabulo statim ab initio collocato, attentos facit Virgilius lectores eumque *gravem*, i. e. ut auctoritate virum pollentem et regem, loquentem facit, non vero acrem et vehementem obiurgatorem. Nam si legeremus, *graviter castigare*, haec verba illo tantum modo intelligi possent. Comp. Georg. II. 377. *Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas*, ubi voc. *gravis* ad totum versiculum pertinet neque *aestas gravis incumb.* pro: aestas, quae graviter incumbit, accipienda est. Id Wagneri annotatio ad Aen. VIII. 559. prohibet. Eadem vocab. *gravis* significatio e Livii loco XXVII. 4. optime apparet: *ut Hannibali cedenti certamenque abnuenti gravis ipse* (Marcellus) *instaret* i. e. non solum graviter, sed cum omni arte omnibusque viribus, quales ab imperatore peritissimo impendi solent. Quare Gronovii emendationem *gravius* Doederlinus in Synonym. Lat. T. III. p. 224. not. recte improbavit. Cfr. Drakenborch. ad Liv. II. 35, 3. Alter locus est Aen. III. 630. sq.

Nam simul, expletus dapibus vinoque cruento
Cervicem inflexam posuit iacuitque per antrum
Immensus

quem male tentavit Clercquius Observatt. ad Lucan. Spec. II. p. 87. scrib. *immensam saniem.* Scilicet haec scriptura, quae in nonnullis libris scriptis comparet, non minus reiicienda est quam id quod Servius e nonnullis codd. tuetur: *immensum.* Sed Adiectivo ad Substantivum relato extraordinaria illa magnitudo Cyclopis multo accuratius describitur, id quod Heynius bene intellexit, et ipsa collocatione vocabuli in fine versiculorum (ut v. *gravis* in initio orationis) egregie adiuvatur. Cfr. Aen. XI. 810. *At velut ille*, *prius quam tela inimica sequuntur Continuo in montes sese avius abdidit altos*, tum Ovid. Metam. III. 37. *longum caput extulit antro Caeruleus serpens*, ubi Burmannus *longo* p. *longum* improbans nostrum locum testimonii causa adduxit et insuper utrumque verbis Ovidianis (Amor. II. 4, 34.). *Et potes in toto multa iacere toro* firmavit. Similiter Tacitus Annal. VI. 37. *Nuntiavere accolae*, *Euphratem nulla imbrium vi sponte et immensum attolli.* Add. Aen. V. 480. *Duraque reducta Libravit dextra media inter cornua cestus Arduus* et Wagner. ad VIII. 299., tum ex eodem

libro quinto (v. 441. seq.) *omnemque pererrat Arte locum et variis adsultibus irritus urguet.* Hoc enim voc. *irritus* exprimit vim adverbii *nequidquam* vel *frustra* v. *adsultibus* adiungendi, ut apud Claudian. de rapt. Proserp. I. 244. sq. *Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu Irrita texebat rediturae munera matri* p. nequidquam munera texebat. Tertium denique exemplum ex Aen. II. 135. depromimus:

Limoso — lacu per noctem *obscurus* in umbra

in quo Sinon ipse *obscurus* a poeta haud inepte dicitur, propterea quod in huius viri fato tota vis loci est et tenebrarum notio iam duabus vocabulis *nox* et *umbra* satis describitur. Non igitur opus erat v. *umbra* addere Epitheton *obscura*, quod prudenti cum delectu Virgilius in Aen. VI. 453. fecit, ut recte observavit Wagnerus. Cfr. Ovid. Fast. VI. 425. *Consulitur Smintheus: lucoque obscurus opaco Hos non mentitos reddidit ore sonos.* Sed erravit Meierotto in Dub. de aliq. script. lat. p. 51. illi loco Virgilii componens alterum ex Aen. II. 98. sq. *Hinc spargere voces in vulgum ambiguas et quaerere conscius arma.* Refert enim v. *conscius* ad arma et grammaticam Adiectivi ab homine ad res transpositionem hic inveniri statuit. Docet vero Wagnerus ad h. l., adiectum esse v. *conscius*, quo indicetur communio quaedam. Hoc quidem voc. apte ad Ulyssem, auctorem sceleris, et ad socios huius consilii accommodari posse, quoniam et hic et illi eius consilii socii fuerint. Idem addit, si per leges metricas fieri potuisset, Virgilio etiam *quaerere conscius* dicere licuisse. Denique egregie haec verba sunt collocata, quum v. *conscius* addito ambiguitas infinitivorum tollatur et iisdem infinitivis assiduitas Ulyssis et sedulitas in hoc negotio declaretur. Vid. Wagner. Quaest. Virgil. XXX. p. 518.

§. 2.

Quam igitur Adiectivorum vim his exemplis demonstrasse nobis videmur, ut non ad unam modo vocem sed ad totam cogitationem pertineant eiusque pars integra dici possint, eadem vis in Translatione Adiectivorum et Epithetorum cernitur. Coniunguntur enim cum uno alterove vocabulo eique tribuunt non simplicem, sed condensatam aliquam notionem, quae interdum ad brachylogiam accedit et pluribus vocabulis circumscribi vel explicari debet, dummodo veram Epitheti naturam recte eliciamus. Quae Epitheta quum saepissime hominibus applicentur, videndum est, qua ratione ab illis traducantur ad loca, in qua homines versantur, tum ad sedes et domicilium, tum ad instrumenta, quibus utuntur, deinde ad singulas corporis humani par-

tes, porro ad conditionem, in qua constituti sunt affectusque, quibus commoveutur, denique ad signa illorum resque illis adiunctas. I. Et primum quidem loca ipsa, regiones, urbes, domicilia, Epithetis ornantur, quae proprie sunt hominum, ut Georg. II. 502. *insanum forum* de foro, quod clamore insanorum hominum strepuit, Aen. III. 60. *scelerata terra* et ibid. VI. 563. *sceleratum limen* i. e. sedes sceleratorum et malis pollutorum hominum (vid. Ovid. Met. IV. 456. Tibull. I. 3. 67.), quibus *sedes beatae* et *loca laeta* (VI. 638.) seu *luci pii* (Horat. Carm. III. 4, 6.) opponuntur; Aen. III. 44. *crudeles terrae*, v. 200. *caecae undae*, V. 289. *caeci parietes* ut Ovid. Metam. VIII. 158. *caeca tecta*, VII. 341. *tacitum limen* V. 58. *moestae aras*, Ovid. Heroid. VIII. 108. *moestus torus*, IV. 746. *saevae arenae* et alia huius generis, de quibus Servius ad Aen. III. 44. *Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum* haec adscripsit: „Id est, crudelium et avarorum." Ex moribus enim cultorum terrae laudantur vel vituperantur, ut: *Devenere locos laetos* (Aen. VI. 638.) et Aen. VII. 228. *Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus Innocuum*, quod Servius interpretatus est: quod vindicatum nemini potest nocere. Immo litus significatur *securum*, in quo nobis noceri non potest. Cfr. Lucan. IX. 892. *Gens unica terras Incolit a saevo serpentum innoxia morsu.* Tacit. Histor. IV. 20. *Si nemo obsisteret iter innoxium fore.* Vid. de v. *innoxius* Barth. Adversar. XXXV. 19., tum Herzog. et Kritz. ad Sallust. Catil. 39, 2. Alios locos collegerunt Heinsius ad Valer. Flacc. II. 466. et Drakenb. ad Sil. Ital. VI. 169. II. 98. et VI. 145. Huc referantur Aen. XI. 457. *stagna loquacia* et XII. 473. *nidi loquaces* hirundinis (*pinos* vero *loquentes* in Ecl. X. 28. ex talium locorum numero Spohnius et Wagnerus recte exemerunt) tum Epitheta illa fluviorum, quae originem traxerunt a moribus incolarum, ut *torvus Ister* apud Valer. Flacc. VIII. 218., *rigidus Eurotas* apud Stat. Theb. X. 497. et Aen. VIII. 801. *trepida ostia Nili* (cfr. supra P. I. cap. 4. §. 4.) et apud Lucan. X. 80. *Niliacus amor*, qui non est amor in Nilum, sed amor prope Nilum incensus, ut apud Propert. I. 3, 44. et II. 32, 31. *externus amor* est eorum, qui sunt in terris externis. Cfr. Bach. ad Ovid. Metam. VII. 591.

§. 3.

His commemoratis, duo restant Epitheta, quorum usus in carminibus latinis est frequentissimus, *medius*, et *solitus*. De his igitur separatim agendum est. Ac primum quidem v. *medius* propria significatio est, ut id denotet, quod inter duo diversa collocatum ab utraque parte pariter distare dicitur: cfr.

Tacit. Hist. III. 40. *Mox utrumque consilium adspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit.* ib. 52. *Mucianus — media scriptitabat, instandum coeptis aut rursus cunctandi utilitates edisserens* [4]). Virgil. Aen. VII. 536. *Dum paci medium se offert* i. e. a partium studio liber et ad foedus componendum aptissimus. Vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XVI. 222. Tum apud eundem Silium et Bach. ad Ovid. Met. V. 564. I. 307. *Concidit exacti medius per viscera teli*, i. e. ita transfossus, ut aequa pars teli et a fronte et a tergo promineret, et XIV.

---

[4]) Itaque scribendum est in Histor. I. 19. *Et patrum favor aderat, multi voluntate effusius, qui voluerant medii*, non *media*, quod Ernestius, Oberlinus et N. Bachius dederunt: cfr. IV. 8. Similiter in Agricol. cap. 6. probo scripturam cod. Vatic. primi: *ludos et inania honoris, medio rationis* (p. *modo rationis* vel *moderationis*) *et abundantiae duxit.* Hic locus interpretes varie exercuit, e quibus Walchius *medio* non pro glossemate v. *modo* habere debebat. Nos cum Gesnero facimus, qui in Thesaur. T. II. p. 279. scripturam *modo* probat, ita tamen explicat, ut nostra loci explicatio illius verbis reddi possit: aestimavit Agricola ita, ut medium quiddam servaret inter id, quod suadet ratio et quod superfluum est. Eadem prope ratione Fr. Iacobus, quem et honoris et propinquitatis causa appello, in Iahnii Annal. Philol. a. 1828. II. 2. p. 17. hunc locum interpretatus est: „*Spiele und sonstige Eitelkeiten seines Amtes schätzte er nach dem Maſse berechnender Einsicht und reichlicher Darbringung ab.*" Ablativus *medio*, quum v. *medius* improprie hic positum sit neque locum, qui sit inter ceteros medius declaret, sed fere praepositionis *in* vel *per* vel *inter* vim sustineat (germ. *in der Mitte zwischen*), iis locis confirmatur, quos Wagnerus in Disquis. Virgil. XIV. 5. b) p. 435. pereruditc collegit. *Ducere* vero *ludos* et *inania honoris* interpretati sunt plurimi p. ludos edere, ut fere dicunt: pompam, choros, exsequias ducere. Sed longe aptius *ducere* i. q. credere s. aestimare, ἡγεῖσθαι (vid. Schmid. ad Horat. Epp. II. 1, 83) significare puto, ut haec prodeat loci sententia: Agricola ludos quidem edidit et inania honoris populi causa passus est, eam tamen secutus viam, in qua *medius* incedebat inter id quod *ratio* (vid. Hist. II. 25, 80. et Boetticher. Lex. Tacit. s. h. v.) suadebat, et quod *abundantiae*, ne nimiae parsimoniae accusaretur, tribuere debebat, ita ut et a luxuria et ab inconsiderata aliorum liberalitate quam maxime abesset, et suae tantum famae quantum opus fuit consuleret. Ita fere Bekkerus et N. Bachius h. l. interpretati sunt, aliter tamen H. E. Fossius in Quaest. Critic., Altenburgi a. 1837 editis, p. 4—25. Sed vide quae Cicero de offic. II. 15—17. super hoc argumento disputavit.

481. *Transigitur valida medius, dum se allevat, alni Cuspide Marmarides Scyron*, in quo tamen loco Heinsius et Lefeburius perperam *medius alni* coniungunt. Rectiora iam Cellarius, Drakenborchius et Ernestius viderunt, *alni* ad v. *cuspide* trahentes et Scyronem rostro sic transfixum dicentes, ut una pars corporis in undis demersa, altera per mare cum nave ferretur [5]).

Vox *medius* est igitur indefinitae potestatis neque uno eodemque modo intelligenda, sed valent nexus sententiarum et ipsa verbi significatio in ea explicanda et cum Substantivis coniungenda. Cfr. Weber. Exercitat. Styl. Lat. T. I. p. 105. Itaque primum accipitur proprie de spatio medio vicesque sustinet praepositionum *in* et *inter*, ut Aen. II. 328. *mediis in moenibus adstans — equus* i. e. in ipsa arce. ibid. 508. *mediis in penetralibus hostem.* V. 160. *mediusque Gyas* in gurgite victor i. e. in medio cursu, non in extremo. IX. 395. *nec longum in medio tempus.* XII. 118. *parabant In medioque focos* i. e. inter utramque aciem., ib. v. 318. *media inter talia verba*, cfr. IV. 663. XII. 213. *conspectu in medio procerum* ut Sil. Italic. II. 108. *Hic medius iuvenum* (i. e. inter iuvenes) *fundebat spicula cornu.* Cfr. Bach. ad Ovid. Metam. VI. 409. et ad X. 233. Alios locos Virgilianos plena manu suppeditabit Wagnerus in disputatione de praepositione *in* v. *medius* aut adiecta aut non adiecta, quae legitur in Quaest. Virgil. XIV. 5. a.) p. 434. sq. Deinde vv. *medius*, *medium* improprie ponuntur, non ut locum, qui sit inter ceteros medius, indicent, sed ut fere praepositionis *in* vel *per* vel *inter* vim sustineant, valetque, eodem Wagnero observante, hic idem fere discrimen, quod in vernaculo sermone est inter *mitten* et *in der Mitte.* Vid. Aen. II. 240. *mediae — minans illabitur urbi.* I. 698. *Aulaeis iam se regina superbis Aurea composuit sponda mediamque locavit.* i. e. ut in media spondae parte cubaret, qui locus reginae maxime convenire videbatur, utpote quae Aeneam et Iulum sibi assidentes haberet. Id quoque Heynius voluit, qui vv. *medium se locavit* ad poeticum sermonem referri censet. Comp. Bach. ad Ovid. Metam. XIII. 780. Cfr. Sil. Italic. III. 628. *Tarda senectam Hospitio excipient coeli solioque Quirinus Concedet mediumque parens fraterque locabunt.* Pergamus

5) *Medius teli* ex illa, poetis usitata loquendi ratione, dictum est, ut idem Silius dixit III. 404 *aequales aevi.* IV. 359 *felix uteri.* VI. 575 *curae venerandus* et XVI. 249 *sceptri venerandus.* IX. 414 *flavus coronarum.* XIII. 52 *aeger delicti.* XI. 26 *vetus doloris* ibique Drakenborch. Alios aliorum poetarum locos adscribere alius erit loci atque occasionis.

ad Aen. V. 76. *Magna medius comitante caterva* v. 290. *Quo se consessum medium tulit.* XI. 814. *Mediis se immiscuit armis.* ib. v. 762. *Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo.* XII. 201. *Medius ignes et numina testor.* ib. v. 409. *Spicula castris Densa cadunt mediis.* Cfr. Sallust. Catil. 61, 3. *Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat — paullo diversius — conciderunt.* In quo loco Kritzius recte vidit, *medios* pertinere ad *disiecerat* et interpretatus est: quos cohors praetoria medios perruperat disieceratque, vel, quos c. pr. media acie perrupta disiecerat. Cfr. eundem ad h. l. et in Iahnii Annal. Philol. a. 1832. I. 1. p. 98. Denique de tempore v. *medius* positum constanti usu cum alio Substantivo coniungitur, ut Virgil. Eclog. X. 65. *Frigoribus mediis Hebrum bibamus.* Georg. III. 331. *Aestibus at mediis.* IV. 401. *Medios quum Sol ostenderit aestus.* Cfr. Bach. ad Ovid. Metam. III. 144. et alios locos de usu v. *medius* collectos apud Wagnerum et Obbarium ll. cc.

§. 4.

Venio nunc ad voc. *solitus.* Legitur vulgo in Aen. IX. 214., quod Arusiani testimonio p. 247. edit. Lindemann. confirmatur:

> Sit qui me raptum pugna pretioque redemtum
> Mandet humo *solita.*

in quo *humus solita* translate et breviter de iis dicitur, qui velut mortui terrae e ritu solito mandantur et terra conduntur superiniecta. Cfr. Burmann. ad h. l. et Schirach. Clav. Poet. Classic. p. 591. Sed ipse Burmannus tuetur lectionem *humo solida*, quae nuper Doederlinium nacta est patronum in Synon. Latin. T. I. p. 178. At longe minoris gravitatis est v. *solida*, quum Nisus non sepulturam magnam et magno terrae cumulo congestam requirat, sed id modo optat, ut corpus suum solito afficiatur honore, ne, quod vel homini bellicoso erat timendum, ipse ἕλωρ fiat *κυνέσσ ιν οἰωνοῖσι τε πᾶσιν:* quod si fieri nequeat se tumulo honorario contentum esse significat. Contra recte ediderunt Burmannus et Iahnius in Ovid. Trist. I. 2, 54. *Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem In solida moriens ponere corpus humo.* Nam in his versibus mors in naufragio morti in terra ipsa subeundae opponitur. Sed locum Virgilianum Wagnerus nuper ita scriptum exhibuit:

> Sit qui me raptum pugna, pretiove redemtum
> Mandet *humo; solita* aut si qua id Fortuna vetabit,
> Absenti ferat inferias decoretque sepulcro.

Turpissimus enim soloecismus iamdudum h. v. inquinavit,

neque ullus bonus scriptor v. *mandare* ablativum iunxit. Quare scribendum censet aut *solitae*, quod nullus liber ms. praebet, aut *solita*, quae vox tamen ad sequentia referenda est. *Fortuna* igitur *solita* significat Fortunam in bellis usitatam, id quod in bellis fieri solet, ut tam multa corpora mortuorum a suis neque tolli neque solemni sepulturae dari possint. Itaque Wagnerus recte est interpretatus: si forte Fortuna, ut solet, unde animus lectoris ad insperati eventus exspectationem (ut VI. 485.) excitatur aut rei eventus, qui est solemni funere longe durior, simpliciter significatur. Cfr. Handii Tursellin. T. II. p. 733. Similia v. *solitus* cum brevitate translatio est in Aen. II. p. 461. sq.

unde omnis Troia videri
Et Danaum *solitae* naves et Achaia castra

h. e. unde omnis Troia videri et loca, in quibus Danaorum naves et castra Achaica esse solebant, voc. *solitus* ab hominibus ad locum translato. Hanc sententiam a Marone ea de causa brevius expressam esse puto, ut in constructione incepta *und. omn. Troia. vid.* persistere posset. Immutat tamen interdum et praecipue in oratione commotiore ordinem structurae inceptum, ut Aen. IV. 552. *Non servata fides cineri promissa Sychaeo*, ubi proprie ob voc. praegressum *licuit* dicendum erat: servari fidem. Cfr. Propert. II. 19. (15.) 11. *Illic assidue tauros spectabis arantes Et vitem docta ponere falce comas.* III. 1, 26. *Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces Fluminaque Haemonio cominus isse viro:* in quibus locis eandem observamus structurae variationem a Substantivo vel Participio ad Infinitivos deflectentem. Alios locos Iahnius ad Ecl. VI. 74. laudavit, a quo tamen Wagnerus in illo loco explicando dissentit. Add. Tacit. Annal. I. 36. *Augebat metum gnarus Romanae seditionis et, si omitteretur ripa, invasurus hostis, et, si auxilia et socii adversum abscedentes legiones armarentur, civile bellum suscipi; periculosa severitas; flagitiosa largitio, seu nihil militi, sive omnia concederentur, in ancipiti respublica.* Hoc narrandi genus Petersenius in Annot. ad Tacit. Spec. I. p. 17. optime explanavit. Add., qui de eadem structurae immutatione scripserunt, Held. ad Caes. de bell. civ. II. 35. et Obbarius ad Horat. Epp. 1. 10, 60. Sed ad v. *solitus* redeuntes tertium locum adiiciamus e Georg. III. 543.

Insolitae fugiunt in flumina phocae

in quo loco *insolitae* non idem est quod: more insolito, sed omisso dativo significat: phocas mari, non fluminibus esse ad-

suetas, docente Wunderlichio in Praefat. Edit. Heynian. Min. p. XVI.

Caput tertium.

Pergitur in eodem argumento.

§. 1.

II. Altero loco Adiectiva vel Epitheta, quibus quaedam conditio hominis sive rei declaratur, vel affectus animi humani describitur, ab hominibus et rebus ipsis ad aliud Substantivum transferuntur. Prioris generis haec sunto exempla: Aen. II. 772. *infelix Creusae simulacrum* l. e. simulacrum infeliciter amissae Creusae, ut *vates infelix* (III. 246.), cuius vaticinium non ipsi sed aliis infelicitatem praesagiebat, *μάντις κακῶν* ut est apud Homer. Iliad. I. 105., *fama infelix* (XII. 608.), *regnum infelix* (Stat. Theb. VIII. 21.) de Manibus, qui sunt infelices in Plutonis regnis, *τά τε στυγέουσι θεοί περ* (Il. XX. 65.), tum *subitus tremor* (Aen. VII. 446.) de eo, qui subito contremiscit, *uncus ancorae morsus* (Aen. I. 268.) pro unca ancora, quae mordet (vid. XII. 274. et 782., Valer. Flacc. III. 190. VI. 59., coll. Drakenb. ad Sil. Italic. VII. 624.), *praeruptum — loci fidum sibi* i. e. in quo ipse fiduciam posuit (Sil. Ital. I. 469.), *praesagus tumultus* ib. V. 32. de copiarum perturbatione, quae instantem praesagiebat tumultum, *facilis carina* (ib. XIV. 40.) i. e. navis facili negotio et movenda et retrahenda, *vulnera longinqua* (Lucan. III. 568.), qualia e longinquo accepta sunt, et quae alia tritissima sunt huius generis; vid. Heinsium et Drakenb. ad Sil. Ital. VI. 169. Deinde *incerti* dicuntur *soles* (Aen. III. 204.), *incerta luna* (VI. 270. ibiq. Hein.), ut *incerta aura* (Ovid. Amor. II. 9, 33.), quae sidera non per se sunt incerta, sed incertam hominibus affundunt lucem, et miseros fallunt nautas, ut Lucanus loquitur Pharsal. VIII. 173. Contra sunt *certa sidera* non solum pura, splendida, sed etiam quorum ductu cursus diriguntur, ut *certi vultus Olympi* apud Valer. Flacc. II. 66. et Lucan. III. 218. *certior Cynosura*. Cfr. Burmann. ad Valer. Flacc. I. 17. ad Rutil. I. 217. et Weichert. Epist. Crit. p. 34. Similiter in aliis locis vv. *incertus* et *dubius* latini poetae usi elegantem effecerunt Epithetorum translationem. Cuius generis sunt *dubiae naves*, in Ovid. Art. Amator. II. 514. et Fast. II. 101., sed dubia proprie sunt fata navigantium, qui sibi ob incertum navis cursum naufragium timent. Alia exempla vid. apud Burmann. ad Ovid. Her. XX. 199. et Markland. ad Stat. Silv. III. 2, 6. p. 143. Lond. p.

268. Dresd., e cuius exemplis est illud Iuvenal. XII. 31. *Alternum puppis latus evertentibus undis Arboris incertae*, quem locum ingeniose, nt solet, Iacobsius In Matthiaei Miscell. Philol. Vol. I. p. 89. tentavit, scribendo *aequoris incerti*. Sed quae virum doctissimum offendit repetitio eiusdem notionis in vv. *arbor. incertae*, ea similibus poetarnm locis firmatur. Attulit Iam Weberus in Animadv. ad Iuvenal. p. 350. e Stat. Achill. I. 109. *Signa tamen divumque tori et quem quisque sacrarat Accubitu genioque locus monstrantur*, (ubi poeta verba: *quem quisq. sacr. accubitu*, addidit, quasi immemor antecedentis voc. tori fuisset), Horat. Carm. IV. 4, 15. *Fulvae matris ab ubere Iam lacte depulsum* (i. e. ἀγάλακτος apud Aeschyl. Agam. 723.) *leonem, Dente novo peritura, vidit*, tum e Graecorum Tragicis Sophocl. Philoct. 747. sq. *Πρὸς θεῶν, πρόχειρον εἴ τί σοι, τέκνον, πάρα ξίφος χεροῖν, πάταξον εἰς ἄκρον πόδα*, Eurip. Phoeniss. 47. sq. Hercul. fur. 10 sq. Sed multo latius hoc ubertatis in dicendo patuit genns, ut iam docent loci a Wagnero ad Aen. IV. 588. collecti. His add. Aen. V. 821. *Subsidunt undae tumidumque sub axe tonanti Sternitur aequor aquis*, ubi male *equis* in Sprot. et Medic. a m. pr., VII. 853. sq. *Ilicet infandum cuncti contra omina bellum, Contra fata Deûm, perverso numine possunt*, in quibus magna cum vi vv. *infandum bellum* et *contr. om.* adiiciuntur verba: *contra fat. D.* i. e. contra fata a Diis missa. Sil. Italic. VII. 596. sq. *Qualis post iuvenem, nondum subeunte senecta, Rector erat Pylius bellis aetate secunda.* Quibus haec accedant e Tragicis: Aeschyl. Sept. c. Theb. 256. sq. *Ἐγὼ δὲ χώρας τοῖς πολισσούχοις θεοῖς — ἐπεύχομαι.* Supplic. 1000. *Θῆρες δὲ κηραίνουσι καὶ βροτοί τι μὶν Καὶ κνωδάλῳ πτεροῦντι καὶ πεδοστιβεῖ Καρπώματα στάζοντα κηρύσσει Κύπρις*, quem locum Schützius repetita notionis *θῆρες* causa mutare non debebat: cfr. Weichert. de verss. Virgil. et Valer. Flacc. p. 77. Iahn. ad Virgil. Aen. VIII. 677. Sophocl. Antig. 851. sq. (844. ed. Herm.) *Οὔτε βροτοῖσιν οὔτ᾽ ἐν νεκροῖσιν μέτοικος, οὐ ζῶσιν, οὐ θανοῦσιν.* Eurip. Hippolyt. 1272. *Οὐδ᾽ ἔστι μοίρας τοῦ χρεών τ᾽ ἀπαλλαγή.* Sed nt ad Iuvenalem redeam, habet haec verbositas praeterea non mediocrem excusationem, quod praedicatum genitivo *arboris* accedit, quo longe vividiorem de navis statu Imaginem animo imprimamus, ut in loco Silii Italici V. 489. sq. *Hennaea cohors — Certatim sese tulit adscendensque vicissim Pressit nutantes incerto pondere ramos.* Similiter legimns apud Ovidium Metam. VIII. 13. *Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis*, tum apud enndem Her. XVI. 22. *dubiae viae*, quae snnt viae Paridis, errore et periculis plenae, quas ipse dubitabundus ingressus est (cf.

Tacit. Annal. II. 23.) et Leandri corpus ab eodem Her. XVIII. 52. saepe in *dubia aqua pependisse* dicitur. Neque aliter *dubia nox* est in Senec. Herc. fur. 670. de nocte, quae utrum ingruat necne homines ipsi sunt dubii (cfr. Bach. ad Metam. IV. 401.) et *dubia consilia* apud Tacit. Agric. 18. sunt quorum eventus est dubius, incertus, de qua passiva significatione vid. Walch. ad h. l. Ita Senec. Agamemn. 457. *Et dubia parent montis Idaei iuga*, quae vixdum conspici poterant, ut Oedip. 1. *Iam nocte Titan dubius expulsa redit*, ubi bene Gronovius: Sol dubius est nubibus praetentus itaque interpolatus, ut dubium relinquat intuentibus an hic sol sit." Denique *coena dubia* apud Horat. Satir. II. 2, 77. est coena tam instructa et apparata, ut quid ciborum potissimum sumamus dubii haereamus: comp. Terent. Phorm. II. 2, 28. Egregie idem Horatius in Epp. II. 1, 187. scripsit: *Verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas Omnis ad incertos oculos et gaudia vana*, quae verba Th. Schmidius optime explanavit Turnebum Advers. XXVI. 25. et Feam secutus, qui oculos interpretantur *inconstantes*, nullo in loco consistentes, qui pro rerum spectandarum copia tanta et tanto singula spectandi studio, voti sui incerti sunt, neque constanter unam aliquam speciem, qua fruantur, probant. Cfr. Satir. I. 3, 109. in quo loco *Venerem incertam* Scholiastes Cruquii omnibus expositam, non certi mariti, quia non habebant certas uxores, explicuit.

§. 2.

Altera transpositio, ut in §. 1. diximus, in vocabulis affectus, quae rebus inanimatis et notionibus, quales Logici dicunt, abstractis tribuuntur, apparet. Cuius generis est notum illud Aen. I. 4. *saevae memorem Iunonis ob iram*, ubi proprie exspectares: ob saevam iram Iunonis memoris, poeta vero animum Deae iratissimum et iniuriae illatae memoriam hoc modo arctius copulare voluit. Praecesserunt iam Aeschylus et Sophocles, quorum ille in Agamemn. 157. verba μνάμων μῆνις τεκνόποινος ad Clytaemnestram retulit, quae de Agamemnone poenas exegit pro filia sua Iphigenia, hic in Aiac. 1374. Teucrum inducit, precantem ut μνήμων τ' Ἐριννὺς καὶ τελεσφόρος Δίκη poenas de Ulysse sumant. Placuit deinde hic lugendi mos latinis scriptoribus, ut Valer. Flacc. I. 826. *Aeson — memorem — tulit sub nubibus umbram.* III. 448. *Ite peremti Ac memores abolete animas*, tum Ovidio Metam. IV. 190. *Exigit indicii memorem Cythereia poenam* i. e. Cythereia memor. XII. 583. *Saevum — perosus Achillem Exercet* (Deus) *memores, plus quam civiliter, iras*, XIV. 694. *memorem — time Rhamnusidis iram* 477. *antiquo memores de vulnere poenas*

Exigit alma Venus, quos locos debeo Bachio ad IV. 190. Add. eundem ad III. 493. Ita *memores fasti* apud Horatium Carmin. III. 17, 4. *memor amor* apud Sil. Italic. III. 64. *memores irae* ibid. XIV. 71. Comp. Victor. Varr. Lect. XXV. 11. Neque ab hoc usu vocabuli abhorruerunt prosaici scriptores, e quibus Wagnerus ad Aen. I. 4. non neglexit Livium IX. 29. *Traditur inde dictu mirabile — censorem etiam Appium — memori ira Deorum, post aliquot annos luminibus captum.* Add. I. 32. *Medium erat in Anco ingenium et Numae et Romuli memor*, in quo loco v. *medium* usum cum iis comparabis, quae supra cap. 2. §. 3. scripsimus. III. 69. *T. Quinctium orationem memorem maiestatis Patrum — habuisse.*

Similiter positum esse videtur v. *altus* in Aen. I. 209. *premit altum corde dolorem*, sed melius haec vocabula, Wunderlichio interprete, de eo dolore intelliguntur, qui penitus insedit et ingens atque gravis est. Vid. P. I. Cap. I. I. §. 4. et add. Stat. Silv. II. 7, 127. *Ipsum sed colit et frequentat ipsum Imis altius insitum medullis.* Rectius igitur ad hanc Epithetorum translatorum classem retuleris Aen. I. 361. *Quibus aut odium crudele tyranni* i. e. odium e crudelitate tyranni ortum, VIII. 118. *Quos illi bello profugos egere superbo*, in quibus ultimum vocabulum non solum invidiae causa adiectum est, sed quia bellum adversus profugos et ἱκέτας gestum erat, X. 732. *Nec iacta caecum dare cuspide vulnus* (dignatus est) i. e. cuius vulneris auctor latebat, ut XII. 444. *Tum caeco pulvere campus Miscetur* h. e. pulvis facit, ut caeci sint, qui in campo versantur, et nullas res distincte conspiciant. Ad eandem normam Horatius Carm. I. 22, 11. dixit: *Et ultra Terminum curis vagor expeditis.* 37, 7. *Dum Capitolio Regina dementes ruinas — parabat.* His adnumeramus locum Georg. III. 529. *Pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu flumina*, in quo loco v. *exercita* minime ornatui inservit, ut Heynius voluit, sed aqua currens, limpida, non stagnans significatur, ut Wagnerus observavit, laudans de vi v. *exercitus* Wakefield. ad Lucret. V. 263. Tribuitur enim fluminibus, quod plerumque de hominibus, qui assidue laborando aliquid consecuti sunt, dicitur, ut apud Tacit. Annal. III. 20. *impiger manu, exercitus militia* et de Arminio ib. XI. 16. *armis equisque exercitus.* Cfr. Casaubon. ad Sueton. Tiber. c. 6., Burmann. ad Petron. c. 83. et Duker. ad Flor. I. 3. [6]). His vocabulis ex-

[6]) Pertinet hic usus v. *exercitus* ad illam verbi significationem, e qua *res homines exercere* dicuntur, quum eos ita occupatos habent, ut in iis toti sint et quasi defixi teneantur ideoque eoque aut exagitentur aut

ercita flumina bene congruit locutio *fessae undae* ut in Ovid. Metam. I. 587. *Moxque amnes alii — In mare deducunt fessis erroribus undas.* Virgil. Aen. I. 168. *Hic fessas non vincula naves Ulla tenent*, tum *fessa carina* apud Ovid. Art. Amat. III. 748. et *fessae puppes* Metam. VI. 519. cfr. Propert. III. 21, 19. *Quum fessa Lechaeo' sedaret placida vela phaselus aqua.* Omnibus his maior est translatio et gravior affectus in loco Lucani Pharsal. VIII. 697. (quem iis quoque locis adnumerare possumus, de quibus in §. 1. egimus): *Quum Ptolemaeorum manes seriemque pudendam Pyramides claudant indignaque Mausolea; Litora Pompeium feriunt* cet. Reges enim intelliguntur, qui ipsi indigni sunt, qui in domum tam superbe exstructam post mortem inferantur. Idem vocabulum saepius de rebus ponitur, quae alienae sunt vel quae ea patiuntur, quae meruisse non videntur: cfr. Iacobs. Anthol. Latin. T. I. p. 125., et quae infra §. 3. et 4. afferentur. Sicuti Mausolea in h. l. quasi in ordinem rerum viventium rediguntur et vocabulo, quod proprium est hominum, ornantur, ita statuae et pictae imagines saepe variorum affectuum signa spectatoribus prodere dicuntur. Vid. Stat. Theb. VII. 418. *Perseos effigies moesta.* XII. 314. *Suffusaque sanguine moeret Purpura*, et, qui fons talium locutionum fuisse videtur, Virgil. Georg. I. 479. *moestum templis illacrimat ebur.* Cf. Heins. et Drakenb. ad Sil. Ital. I. 86. et Burmann. ad Valer. Flacc. II. 466. Contra nulla est translatio in Aen. XI. 212. *tepido — onerabant ag-*

fatigentur, tum *homines res exercere* narrantur, quum eos ita colunt et tam saepe manibus aut alia ratione usurpant, ut soliti fiant moris et quotidianae consuetudinis. Huius significationis, quae verbi vis primaria fuisse videtur, exempla sunt apud Virgilium frequentissima, ut Georg. I. 99 *exercere tellurem.* II. 356 *exerc. solum.* Aen. III. 281 *exerc. palaestras.* IX. 175 *exerc. vices.* X. 808 *exerc. diem.* XI. 319 *exerc. colles* al. Cfr. Burmann. ad Aen. VI. 542, add. Bach. ad Ovid. Metam. VI. 145 et Sil. Italic. I. 260 de Hannibale: *exercetque sitim et spectato fonte recedit.* Nam Hannibal tolerat sitim et hoc tam saepe facit, ut hanc abstinentiam nulla cum molestia perferat, sicut *curae iuvenem exercere* dicuntur (XI. 374. vid. Rupert. ad I. 674), qui eas saepe apud animum repetit. Quae dicendi ratio Tacito quoque placuit, ut in Agric. 31 *arva, metalla, portus exercere.* Annal. XIII. 43 *Africam et Aegyptum exercemus* ubi vid. Bachium: cf. Wernik. de elocut. Tacit. (Thorun. 1829) p. 11 et Kritz. ad Sallust. Catil. 49, 2. Prioris significationis exempla sunt: Georg. II. 415 *incultique exercet cura salicti.* Aen. I. 435 *qualis apes exercet sub sole labor.* Cfr. Kritz. ad Sallust. Catil. 11, 1.

gere terras. Scilicet humus significatur ab incendio rogorum adhuc tepens. Alia huius generis sunt *vigil ignis*, *vigiles lucernae*, *vigiles curae*, *laetus ager*, *laeta arbusta*, *laeta iuventus*, *tristis senectus*, *opes superbae*, *victoria superba*, *proba pauperies*, *fundus mendax*, *auritae quercus* (Orphea sequentes), *victrices hederae*, *moestae arae*, *victrices aquilae*, *signa docta*, *pericula caeca*, *silentia caeca* cet. Quae omnia sunt facilia explicatu tantusque est eorum in optimis carminibus numerus, ut vel in diligentissima locorum recensione unus alterve conquirentium oculorum aciem saepius effugiat. Ita, ut hoc unum addam, *ductores auro — ostroque superbi* (Aen. XII. 126.) recte ita appellantur. Nam quum ostrum poeta appellet *superbum* (I. 639.) et aulaea *superba* (ib. 697.), nihil obstat, quo minus is, qui ostro fulget, appellatus sit *superbus*. Vid., quos iam P. I. cap. I. IV. §. 4. excitavimus, Heynium ad XI. 539. et Wagnerum ad XII. 126.

§. 3.

III. Porro Epitheta et Adiectiva, quae proprie hominibus ipsis conveniunt, membris illorum certisque corporis humani partibus tribui solent, quasi hoc modo tota actio fieret vividior et parte aliqua corporis significata lectores attentiores facti ad id, quod est proprie in indole aut in mente alicuius hominis positum, magis excitarentur. Tetigimus iam alia occasione hunc morem in P. I. cap. 4. §. 6. not., de quo hoc in loco uberius disserendum est. Illum igitur morem secutus Virgilius in Aen. IV. 364. Didonem induxit *luminibus tacitis* omnia pererrantem, aut in eiusdem libri v. 67. *tacitum vulnus* sub eius pectore vixisse canit, quo vocabulo in utroque loco ostenditur, reginam suum dolorem aut eloqui noluisse aut non satis virium ad hanc rem habuisse, corporis tamen partibus, in quibus hic dolor quam maxime inesse putabatur, aptissime a poeta commemoratis. Ita *tacitus sinus* apud Tibull. IV. 33, 8. et Propert. II. 25, 30., in quo gaudia sunt cohibenda: cfr. Ovid. Metam. III. 241., Sil. Ital. XI. 391. et Hand. ad Stat. Silv. I. 1, 35. p. 81. Deinde huic usui v. *tacitus* comparamus *manus viduas* Ovid. Her. I. 10. ibiq. Ruhnken. Dictat. p. 3., *ora nescia* Metam. IV. 329. et *arva nescia* ibid. XIV. 2., *vultus modestus* IV. 683. ibiq. Bachium, *ungues avidos* ib. VI. 530. ut *manus haeredis avidas* apud Horat. Carm. IV. 7, 19., cfr. Ovid. Her. I. 92., *genae attonitae*, *moestae*, *severae* (vid. Iacobs. ad Philostr. Imag. I. 18. p. 318. et ad II. 19. p. 510.), *primos vultus* Metam. X. 450. ibique Bachium, *lumina amantia* Ovid. Her. XIX. 25. pro quibus Appuleius Metamorph. II. p. 11. Pric. dixit *oculos amatores*, *lumina fida* Auct. Moret.

21., *pectora nil tale timentia* Metam. VIII. 440., *adulteri crines* Sil. Italic. XIII. 375. et Horat. Carm. I. 15, 19., *gaudentes humeros* Valer. Flacc. I. 109. ibiq. Burmann., ut *gaudentem equi iubam* apud Stat. Theb. XI. 213. Haec igitur Epitheta obiectis adiunguntur in actione eique tantisper conveniunt, dum actio durat. Vid. Wunderlich. ad Virg. Georg. II. 247. (qui tamen locum Aen. IV. 102. his non recte adnumeravit) et Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 154. ed. sec. Huc referendus est usus v. *indignus*, quo inprimis Ovidius, tum alii quoque poetae delectati esse videntur. Nam hoc vocabulum aut iis corporis partibus adiungitur, quae aliena atque homini non bene convenientia patiuntur, ut *indignae genae* apud Ovid. Trist. I. 3, 18. et Art. Am. III. 708., *indigna crura* Metam. I. 508., *indigni lacerti* IV. 138., *indignae comae* Consol. ad Liv. 40. cfr. supra §. 2.; aut activa, quam vocant, significatione de iis corporis partibus aliisve rebus ponitur, quae aliquid non debebant facere. Ita *palmae indignae* apud Ovid. Met. X. 723., ubi vid. Bachii annotatio, tum apud Virgil. Aen. VI. 162. *vident indigna morte peremtum Misenum Aeoliden*, *quo non praestantior alter*, quorum ultima verba causam suppeditant cur mors appelletur *indigna*. Cfr. Iacobs. Anthol. Lat. II. p. 44. ad Catull. 23, 6. Paullo audacioris transpositionis exempla sunt verba apud Stat. Theb. X. 607. *Vittasque trementes Caesaries insana* (i. e. vatis, hominis insani) *levat* et apud Valer. Flacc. I. 282. *Adstrictis ut sedet cornibus Helle*, in quo versu intelliguntur cornua arietis, quae Helle pecori insidens et propter iter insolitum paullo timidior manu stringebat, ne ipsa in mare delaberetur [7]). His add. Sil. Italic. X. 469. *Milite non illo quisquam felicior acri Insultarat equo vel si resupina citato Proiectus dorso ferretur membra vel idem Si nudo staret tergo.* Ad velocitatis notionem luculentius exprimendam et quod dorsum equi magis quam totum equum respexit Silius *dorsum citatum* dixit p. dorso citati equi, ut XII. 521. *Vulturna citata Transmittunt alno vada* et apud Lucan. VIII. 456. *citatae rates.* Cfr. Heinsium ad Silii loc. cit. et similes locos Taciteos Annal. XII. 31. *citas cohortes rapuit.* Histor. II. 40. *citus aderat.* Cfr. Fr. Lübker. l. l. p. 47.

---

[7]) Confirmatur haec interpretatio pictura quadam Pompeiana, quam I. C. Zahnius delineatam dedit in libro suo splendidissimo: *les plus beaux ornemens de Pompeji* Cah. IV. tab. 38. In hac Europa conspicitur, cornibus tauri simili modo inhaerens, ut a Valerio Helle adstrictis arietis cornibus sedisse dicitur.

Eiusdem celeritatis notio est in vv. *dubium caput* apud Valer. Flacc. IV. 272.

Pollux sic providus ictus
Servat et Oebalia *dubium caput* eripit arte.

Burmannus v. *dubium* ad Argonantas refert, qui Pollucis caput in periculo esse credebant, ne ab Amyco caestuum ictibus contunderetur. Quam in rem comparat praeter suam ad Ovid. Her. XX. 199. annotationem verba Silii Ital. XIV. 168. *Ne, quaeso, supplex lucem dubiusque precare.* Lucan. I. 506. *Dubiae dum vota salutis Conciperent.* Sed iam Pius, Zinzerlingius et Wagnerus viderunt voc. *dubius* hic de ipso Pollucis capite intelligendum et ab illius conditione ad illam corporis sui partem transferendum esse, quae ictibus maxime exposita erat et in qua primaria pugnae pars erat. Itaque Pollux a Valerio caput suum tam celeriter declinasse dicitur, ut dubium fieret utrum in laeva an in dextra parte esset, quo declinandi artificio illa ars Oebalia quam maxime declaratur. Haec interpretatio similibus confirmatur locis Aen. V. 428. *Abduxere retro longe capita ardua ab ictu*, tum v. 435. vivide et quasi in modum picturae poeta dixit: *errat — aures et tempora circum Crebra manus.* Add. Stat. Theb. VI. (non lib. VII. ut Burmannus in sua editione citavit) 769. sq. in descriptione Capanei et Alcidamantis ad certamen congredientium: *Sed providus astu Et patria vigil arte Lacon hos reiicit artus, Hos cavet: interdum nutu capitisque citati Integer obsequio, manibus nunc obvia tela Discutiens instat gressu vultuque recedit.* Cfr. J. G. Vossium de Construct. c. 2. et Iensii Lect. Lucian. p. 92.

§. 4.

IV. Huic Epithetorum translationi cognatum est quartum genus, quod in Epithetis translatis ab hominibus ad currus, arma, tela aliaque instrumenta continetur. Et in hoc quoque magna suavitas et praestantissimum adiumentum ad sensus movendos et implendos inest, ut in loco Georgic. I. 514. *Neque audit currus habenas* (ἅρματα πειθιχάλινα apud Pindar. Pythic. II. 21.), Lucan. III. 594. *Carinae audivere manum*, ubi vid. Heynium et Cortium: add. Bach. ad Metam. V. 382. Huc pertinent loci Aen. II. 224. *Taurus — incertam excussit cervice securim* i. e. de homine qui non satis certo et valido ictu securim in boves depressit, ad q. l. interpretes iam comparaverunt Senec. Agam. 777. et Sil. Ital. V. 65. Add. Stat. Theb. XI. 310. *Ictus ut incerto pastoris vulnere serpens Erigitur gyro* et Drakenb. ad Sil. Italic. XVI. 264. Tum in eodem Aeneidos libro v. 231. *Qui — sceleratam intorserit*

hastam i. e. ipse Laocoon sceleratus et ibid. v. 528. *Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus Insequitur*, ad q. l. bene Heynius: infeste, hostili more, ut vulnus inferat: sed alterum multo magis poeticum, *infesto vulnere.*" Unde miror Heineccium, qui in Fundam. Stil. Cultior. Part. I. cap. 3. §. 31. hunc versiculum obscuritatis damnavit, qui contra duplici de causa laudem meret. Nam primum v. *infestus* ex illa translatione positum est, quam pluribus exemplis infra illustrabimus, deinde vv. *vulnus infestum* ex illa breviloquentia sermonis intelligenda sunt, quae actionem telorum dirigendorum et vulnerum inferendorum in unum complectitur. Cfr. VII. 533. *Haesit enim sub gutture vulnus et udae Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.* Sil. Italic. I. 397. *Hunc miseratus adest infesto vulnere Ladmus*, quae vocabula saepius coniunguntur, ut apud Lucan. VIII. 417., Tacit. Annal. II. 24., Histor. II. 35., III. 85., German. 1. Add. Cort. ad Sallust. Catil. c. 60. et intpp. ad Liv. I. 23. et de illa v. *vulnus* significatione Markland. ad Stat. Silv. II. 6, 6. p. 242. ed. Dresd., Bach. ad Ovid. Metam. VII. 846. IX. 126. et Stern. ad Grat. Cyneget. p. 83.

Porro ad idem translationis Epithetorum genus referimus Sil. Italic. VI. 105. *tristem amictum* XI. 398. *tela tacita* et Ovid. Metam. II. 616. *tela temeraria*, tum voc. *fidus*, quod latini poetae, ut nostri [8]), rebus certis apponere inprimis amaverunt, ut *fidus ensis* apud Virgil. Aen. VI. 524. et VII. 640., *lorica fidelis* IX. 706., *obices fidi* apud Sil. Italic. IV. 24., et contra *perfidus ensis* in Aen. XII. 732. et *malefida cassis* apud Silium IV. 164. cfr. Burmann. ad Grat. Cyneget. v. 52. et ad Valer. Flacc. I. 122. Ex eodem genere sunt quae in carmine Siliano leguntur *rudis parma* i. e. rudi opere suta (III. 234.) et: *Taurea vibrabat nudis conatibus hastam* (XIII. 161.) h. e. conatus eorum, qui spernunt amentum (v. 159.) et rem propriis viribus agere velle declarant, tum in Pharsal. VII. 232. *Illic pugnaces commovit Iberia cetras*, ut ἀσπὶς θοῦρος apud Homer. Il. XI. 32. Cfr. Burmann. ad Ovid. Heroid. X. 46.,

---

[8]) Cui non succurrunt praeclarae illae Schilleri voces, quarum suavitatem tota Germania in imis praecordiis sensit, ut in Virgine Aurelianensi (Act. IV. sc. 1):

Frommer Stab, o hätt' ich nimmer
Mit dem Schwerte dich vertauscht!

vel in Guilielmo Tellio (Act. IV. sc. 3):

Vertraute Bogensehne, die so oft
Mir treu gedient hat in der Freude Spielen!

Bentiei. ad Manil. II. 246. et Wagner. ad Virg. Georg. III. 332. His locis ultimos accenseo Valer. Flacc. I. 401. *Stat procul intendens dubium pater anxius arcum*, ipse dubius, quem arcu petat, et IV. 527. *Haesit uterque polo dubiisque elanguit alis* i. e. Zetes et Calais, pennis instructi, dubitant, utrum progrediantur an redeant. Itaque proba est interpretatio Drakenborchii in loco Silii IV. 185., *dubia meditatus cuspide vulnus*. Nam *dubia cuspis* est quam manu tenet homo dubitans et secum deliberans, cui primum vulnus infligat, quod etiam e v. *meditatus* patet. Alia v. *dubius* exempla ipsi in superioribus attulimus et Drakenborch. ad h. l. excitavit. Similia huius translationis exempla, ut *remi audaces*, *caeca arma*, *iracunda fulmina*, *tacita acerra* (apud Pers. Satir. 2. 5. h. e. ipse tacitus libabit) et quae sunt huius generis nunc mittamus, ne nimis multa in re, quae in singulis poetarum paginis est obvia, collegisse videamur.

Caput quartum.

De Epithetis ab eventu et per prolepsin formatis.

Declaravimus in capitibus proxime praegressis eam Epithetorum et Adiectivorum Translatorum vim atque significationem, quae singularem notionum permixtionem et liberiorem orationis conformationem prae se fert. Hanc vero liberiorem constructionem ubi subtilius examinaveris, mirum est quanta in eadem appareat vis et elegantia cultissimi sermonis, immo quod hic potissimum verae et cum prudenti consilio institutae breviloquentiae laus et praestantia pateat. Contractiorem enim locutionem, quae est ope Adiectivi seu Epitheti Translati, si iusta explicatione atque e legibus boni et pulchri interpretati simus, neque omnia, ut censores faciunt morosi et putidiusculi, e legibus abstrusioris cuiusdam grammaticae atque e regulis, quas Logici sibi finxerunt, ad vivum resecuerimus, maxima vis et maximus nitor orationis eiucent quumque absint operosioris diligentiae vincula omnes perspectum habebunt, Graecos et Latinos in ipsa brevitate maxime studuisse, quam summam faciebant orationis virtutem, perspicuitati. Quae sermonis concinnitas, a recentioribus magnopere commendata et insigni cum subtilitate explicata, haud scio an ex illo Epithetorum usu, quem in hoc capite illustrare suscepimus, multo clarius et dilucidius pateat. Dico illum usum, e quo poetae Epitheta ab eventu desumunt, seu illud

breviloqnentiae genus, qnod ope Epitheti vel Adiectivi notionem aliquam sive e praegresso vocabnlo sequi et secnndariam quandam notionem efficere indicat seu illa Adiectiva multo latiore significatione poni atque intelligi iubet. Hanc verborum conformationem recentiores philologi appellant *prolepsin*, quae quidem maxime diversa est ab grammatica verborum comprehensione eiusdem nominis (vid. Ruddimann. Institut. Grammat. Latin. T. II. p. 368. ed. Stallbaum.), vel ab illa philosophorum anticipatione, qualem Cicero Academ. Quaest. II. 10, 30. et de Nat. Deor. I. 17, 44. et 27, 76. commemoravit. Adiectivorum nsum a se primnm *prolepticum* esse appellatum pronuntiavit Schaeferus in Apparat. Crit. ad Demosth. T. I. p. 239., qua tamen in re vir doctissimus non ad ea respexit quae Iacobsius multo prius ad Anthol. Graec. III. 1. p. 406. de hac dicendi ratione disputavit nomenque prolepsis usurpavit. Rem ipsam vel ante Iacobsium complures philologi tetigerunt, Cortius ad Lucan. I. 305., Onwens. Noct. Hagan. III. 3. p. 369. sq., Mitscherlich. Lect. in Catull. p. 121., Huschk. ad Tibull. II. 1, 54., Baner. ad Sanct. Minerv. T. II. p. 342., ut alios mittam, quos infra commemorabo. Inter hos vel ipse Schaeferus fuit, qui in editione Tauchnitiana Theocriti, quam anno huius saeculi nono curavit, ad locum VII. 70. scripserat, tot huius dicendi formae exempla apud veteres occnrrere, ut a poetis antiquis cupide quaesita esse videatur. Plurimi vero virorum doctorum, qui hoc breviloquentiae genus illnstrarunt erantque eorum non pauci, nt in re frequenter obvia fieri solet, maxime Graecorum linguam respexerunt et usum dicendi tum in prosae scriptoribus tum in poetis diligenter explanavernnt et idoneis exemplis confirmaverunt. Horum nomina in fine capitis lectores invenient. Itaque quum linguae Latinae in hac quoque re idem contigisset quod vel in aliis syntaxis partibus infeliciter eidem accidisse cultores illius linguae suo iure conquesti sunt, equidem neqne supervacanenm neque ineptum putavi quaestionem de Epithetis ex eventu formatis vel per prolepsim positis in hac commentatione, quae omnino usum Epithetorum Translatorum spectat, denuo proponere, locis, quos ipse collegeram, uti aliorumque, si occasio ferret et instituti mei ratio flagitaret, locos comparare atqne in rem meam convertere.

Scilicet omnis prolepsis, quod gravissimum habebant veteres subsidium ad gravem gignendam brevitatem, duplicis generis fuisse videtur. Ex his unum notionem anticipatam ita cum consequenti notione coniungit, ut una fere efficiatnr notio. Tales dicendi formas ne e sola ubertate poetica esse ortas dica-

mus, prohibebit accuratior locorum ipsorum consideratio, e quibus, ut puto, apparebit, vel in altera enuntiationis parte, quae a poeta est suppressa, non minorem fuisse perspicuitatem quam pulchritudinem. Alterum genus est hoc, quod particula causae seu consequentiae apud mentem addita duas quasi efficit notiones duasque enuntiationes. Pedestris orationis scriptores in talibus ponunt particulas *dum*, *donec*, *quoad*. In utroque genere carmina Virgilii quam maxime respeximus, quem ceteri poetae epici pro communi fonte habuerunt, nonnulla vero praemittemus de locis antiquissimorum poetarum Graecorum, in primis Homeri, eodem modo conformatis.

§. 1.

Quod verissime Hermannus in disputatione de differentia prosae et poeticae orationis scripsit [*]), inventricem artium fuisse vel naturam vel necessitatem, perfectoremque usum, disciplinam vero otii et meditationis opus, id in doctrina de prolepsi poetica similiter evenisse videmus. Nam veterum Graecorum magistri, quorum fere omnis vita in arte rhetorica excolenda est versata, omnia prope schemata omnesque orationis figuras non solum diligentissime animadverterunt, sed etiam nominum ac generum varietate distinxerunt. Itaque inter haec schema aliquod poeticae dictionis explicandae causa, *ἐκ παραλλήλου* appellatum, excogitaverunt. Hinc Hesiodi locum in Opp. et Dieb. 510.

μηδ᾽ ὀρθαὶ φρίσσωσιν, ἀειρόμεναι κατὰ σῶμα

ansam quasi nactus Moschopulus in libro suo *περὶ σχεδῶν* p. 120. haec notavit: *μὴ δὲ ἀιρόμεναι ὀρθαὶ κατὰ σῶμα γίνωνται ὤφειλεν. ὁ δέ φησι φρίσσωσιν, ὃ καὶ μόνον τὸ τὰς τρίχας ὀρθίας γίνεσθαι δηλοῖ, καὶ Εὐριπίδης ὅμοιόν τι ποιεῖ ἐν τούτοις· μὴ τελεσφόρους Εὐχὰς θεοὶ κραίνωσιν* (Phoeniss. 69.). *ὀφείλων γὰρ εἰπεῖν μὴ τελεσφόρους ποιήσωσιν, ὁ δέ φησι τελεσφόρους κραίνωσιν ἐκ παραλλήλου, ὡς πετρώματι λευσίμῳ ἐν ἄλλοις, ἤγουν λιθοβολισίμῳ* (cfr. Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 533.), *καὶ ἁπλῶς πολὺ παρὰ τούτοις τὸ τοιοῦτον.* Hoc constructionis genus ad poesin antiquissimam maxime erat accommodatum, nam primum beatam illam sermonis ubertatem prae se ferebat, a qua vel eo tempore, quo severiores natae erant poesis leges et regulae, optimi Graecorum et Latinorum poetae minime recedebant, immo studiose hanc virtutem carminibus suis servare laborabant, etiamsi disciplinarum inventores artibus excultis talia multo cum supercilio reprehenderent et orationem contra terminis arctioribus circumscribere eniterentur. Accedebat res

---

[*]) Opuscul. T. I. p. 81.

auditoribus longe gratissima, ut uno quasi ictu totam rem et faciendam et factam auribus suis perciperent, quod quantum ad animorum oblectationem hominumque veterum attentionem valuerit non est quod exponamus. Itaque iam ante Hesiodum in Homeri carmina, ipso poeta inscio, hoc schema dicendi invectum est, neque assequimur, qua ratione motus Bernhardius in Syntaxi Graeca p. 428. hunc morem loquendi poetis Graecorum Epicis omnino abiudicaverit. Exempla huius constructionis habes in Il. II. 416.

> Ἑκτόρεον δὲ χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι
> χαλκῷ ῥωγαλέον.

Ibid. XIV. 6.

> Εἰσόκε θερμὰ λοετρὰ ἐϋπλόκαμος Ἑκαμήδη
> θερμήνῃ.

Similiter apud Virgilium Aen. VI. 309. legimus:

> Quam multa in silvis auctumni tempore primo
> *Lapsa cadunt* folia

in quo loco duplicis actionis per compendiariam dictionem coniunctio nonnullos viros doctos male habuit, ut Wakefieldum in Silv. Crit. I. 8. p. 16. corrigentem: *laesa cadunt.* Sed nulla est emendandi necessitas. Vid. IX. 89. *Nunc sollicitam timor anxius urget.* 436. *Lassove papavera collo demisere caput* ibique Doederlin. Synon. Latin. T. I. p. 106. et p. 128. Ovid. Met. III. 502. *Ille caput viridi fessum submisit in herba.* Heroid. XX. 208. *Et te dum nimium miror — nota certa furoris — Deciderint humero pallia lapsa meo* [10]). Add. Homer. Il. VI. 308. αὐτὸν Περνέα δὸς πεσέειν Σκαιῶν προπάροιθε πυλάων. Ad eandem ἐκ παραλλήλου dictionem verba Virgilii in Aen. IV. 588.

> Litoraque et *vacuos* sensit *sine remige* portus

referamus, ubi iam v. *sine remige portus* satis fuissent, sed rem effectam, ut facta est, poeta significare voluit. Qui dicendi mos Tragicis graecis admodum placuisse videtur, ut Soph. Oed. Tyr. 57. ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος οὔτε ναῦς, Ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω. Antig. 882. τὸν δ' ἐμὸν πότμον ἀδάκρυτον οὐδεὶς φίλων στενάζει. Aiac. 69. ἐγὼ γὰρ ὀμμάτων ἀποστρόφους αὐγὰς ἀπείρξω. Trachin. 239. ὅθ' ἥρει τῶνδ' ἀνάστατον δορὶ χώραν γυναικῶν ὧν ὁρᾷς ἐν ὄμμασιν. Cfr. Wagner. ad Aen. l. c. et ad V. 187., tum

---

[10]) Confirmantur haec loco Ciceroniano de Offic. I. 22, 77. *Celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt,* quem locum Wagnerus in annotatione ad h. v. lectionis vindicandae causa adduxit.

Lobeck. ad Soph. Aiac. 515. p. 299. et paullo supra cap. 3. §. 1. Porro eundem Virgilium simili ratione in Aen. V. 500. scripsisse putamus:

Et *validis flexos* incurvant viribus arcus

cui loco plane geminum habemus Homericum Il. IV. 124. *αὐτὰρ ἐπειδὴ κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινεν.* Cfr. Graef. ad Meleagr. p. 133. sq. Neque aliter idem Homerus Odyss. II. 227.

ἐπέτρεπεν οἶκον ἅπαντα
Πείθεσθαί τε γέροντι καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσειν.

et Il. IV. 661.

μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ', ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

ut Il. I. 103. XVII. 83. coll. Blomfield. ad Aeschyl. Prom. 112., Dissen. ad Pindar. p. 672. et Welcker. ad Theognid. 913. p. 123. Mens enim dicitur *atra* non per se, sed furore accensa, quam rem Virgilius aliique poetae latini certatim expresserunt, ille Aen. VIII. 219. *Hic vero Alcidae furiis exarserat atro Felle dolor*, tum Lucan. Phars. IX. 930. *Saepe quidem pestis, nigris inserta medullis, Excantata fugit.* Sil. Italic. IX. 148. *Non nox errorem nigranti condidit umbra?* i. e. quae omnia nigra, neque ab oculis conspicienda reddit, ut Aen. VIII. 353. Et paullo uberius Statius Silv. II. 6, 81. *Non secius atros Nigrasset planctu genitrix tibi saeva lacertos Nec pater.* Alios locos Homericos, in quibus Adiectivo seu Participio id, quod ex aliqua re consequitur, poeta designavit, Nitzschius Annotat. in Odyss. II. 257. T. I. p. 104. contulit, ut Il. XXIII. 431. *ὅσσα δὲ δίσκου Οὖρα κατωμαδίοιο πέλονται.* Odyss. XV. 51. *ἀλλὰ μέν', εἰσόκε δῶρα φέρων ἐπιδίφρια θείη — Ἀτρείδης.* Add. praeterea de nsu Epicorum Passov. ad Tacit. German. 31. et Schopen. de Terent. et Donat. p. 120., de Tragicis, Homeri imitatoribus, vid. Nitzsch. l. c. et Matthiae ad Eurip. T. VI. p. 104. seq., atque de Latinorum poetis praeter Iahn. ad Virgil. Aen. VI. 309., quem idem laudat, Heynium Observat. in Tibull. I. 7, 14.

§. 2.

Ad prolepsin poetarum Latinorum propius accedentes primum de illo genere agamus, qnod notionem anticipatam ita cum notione consequenti coniungit, ut nna fere efficiatur notio. Est hoc genus ita comparatum, ut e praegressis cansa prolepsis eliciatur et conatus, qui rem effectam praecedebat, una cum eventu in dicendo coniungatur. Exemplo rem illustrabimns. Virgil. Aen. III. 508.

Sol ruit interea et montes umbrantur *opaci.*

In quo loco solis occasus est causa, propter quam montes obumbrentur et opaci appellari possint. Cfr. Georg. I. 156. et *ruris opaci Falce premes umbram.* Duae igitur in unam contrahuntur actiones, ratione originis et effectus simul habita, ut Valer. Flacc. III. 411. *Ergo ubi puniceas Oriens accenderit undas.* Nam ita e praeclara Burmanni emendatione hunc locum scribendum esse censeo. In ipsius editione legitur: *ascenderit undas*, ut est in libris manuscriptis; sed quis ita loqui solitus est? Contra quam ipse proposuit emendatio egregie locis poetarum stabilitur, quos ipse ad lib. V. v. 370. collegit, unde praestantiorem duco coniectura Weicherti in Epist. Crit. p. 65.: *ergo ubi puniceis Oriens escenderit undis. Puniceae undae* ab effectu sic appellantur, ut puniceae appareant, colore purpureo tinctae videantur. Ita Horatius Carm. I. 7, 15. *Notum* dicens *album* (*Albus ut obscuro deterget nubila coelo Saepe Notus*), ab effectu significat serenantem, sicut III. 27, 19. *Iapyx* ab effectu appellatur *albus.* Cfr. Weichert. Comment. I. de Medea oestro percita p. 14. not. et F. C. Ritternm in Animadv. in Persii Satir. I. 16. p. 14. Comp. Soph. Oed. Colon. 532. *ἤ μητρόθεν, ὡς ἀκούω, δυσώνυμα λεκτρ' ἐπλήσω,* ubi ex Hermanni sententia vocabula *μητρ. δυσών.* iungenda sunt, ut rei effectae habeant significationem: num torum tibi implesti, ut per matrem nefandus fieret. Porro apud Virgil. Georg. II. 171.

> Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
> *Imbellem* avertis Romanis arcibus Indum

Indus non cum *molli Sabaeo* (Georg. I. 57.) conferendus esse videtur. Nam *imbellis* est i. q. viribus fractus, animo fractus, quae conditio erat Indorum post victorias ab Augusto reportatas. Add. Aen. II. 735. sq.

> Hic mihi nescio quod trepido male nnmen amicum
> *Confusam* eripuit mortem

i. e. confundendo eripuit, quae duo fere separatim poni solent. Cfr. Soph. Antig. 786. (al. 791.): *σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ* i. e. *παρασπῶν ἀδίκους ποιεῖς.* Tum Aeneid. IV. 22.

> Solus hic inflexit sensus animumque *labantem*
> Impulit.

Poetae mens haec fuit: flexus est Didonis sensus per amorem erga Aenean, et animus in loco suo priore consistere nolens nunc ad alteram sententiam impellitur. Cui significationi v. *labare* bene respondet, quod *genua* dicuntur *labare* apud Sil. Italic. I. 529. seu *oculi languore labantes pigro sopore operiri* apud Catull. 63, 37. Cfr. Doederlein. Synonym. Lat.

T. I. p. 130. sq. In alia einsdem Didonis oratione v. 535. legitur:

En quid ago? Rursusne procos *irrisa* priores
Experiar?

Wunderlichius, quem Iahnius sequitur, *irrisa* explicuit: ab Aenea despecta. Heynius hoc Epitheton e more poetarum ab effectu derivandum esse statuit, laudans Ernest. ad Callimach. H. in Del. 117, in quo rectum vidit, nam *irrisa* est: *ut irridear.* Ita Sternius quoque ad Grat. Cyneget. 357. p. 131. interpretatus est. Etenim Dido se ab Aenea desertam et despectam esse non bene statim ab initio orationis suae queri potuit, quum hanc sui furoris causam versus modo praegressi abunde declarent, sed fatorum ordo eam cruciat et conditionis futurae consideratio. Hunc igitur ancipitem animi statum, qui ipsis verbis *En quid ago* (cfr. Hand. Tursell. T. II. p. 369.) significatur, dum stupet, ipsa statim in Nomadas incidit, quorum connubia antea reiecta mentem suam gravissime tangunt et timore futurae irrisionis implent. Hic, ni fallor, naturalis cogitatorum est ordo. Wagnerus in Quaest. Virgil. XXIX. 3. p. 514. voc. *irrisa* tribuit vim et potestatem Adiectivi, explicans per v. *irrisibilis* (cui ipse veniam precatur) i. e. quae irrideri solet, ut III. 275. *formidatus Apollo* est formidabilis, sive qui formidari solet. Ad hoc genus dicendi, ut in sermone commotiore, aliquis fortasse locum Silii Italici XVII. 466. retulerit:

tum manes *inimica* sede repellat
Aeterna, socioque abigat me frater Averno.

quae verba sunt Hannibalis ad Pleminium, qui fratrem interfectum magno clamore ab eo reposcit. Hannibal contra sui fratris, Hasdrubalis, qui et ipse in hoc bello ceciderat, memor est. Cuius ultionem si in homine Italo negligeret, tum se ipsum post mortem suam ab Averno id est a sede inferorum exclusum fore significat. Quae sedes dicitur *aeterna*, quod inde reditus nullus dabatur mortuis: cfr. Drakenb. ad III. 46. Eadem e vulgata lectione appellatur *inimica*, quod Epitheton nullum fundit sensum idoneum, vel si ad Orci naturam retuleris, qui locus omnibus est inimicus, quippe quem modo inviti adeunt, vel de eventu explicueris. Accedit, quod haec duorum Adiectivorum uni substantivo sine copula iunctorum collocatio iure offendit editores, quum non ad normam earum regularum explicari possit, quas Wagnerus ad Aen. V. 24. constituit: cfr. supra cap. 1. §. 3. not. Itaque in loco Siliano sine dubitatione scribendum est *aut inimicus sede repellat Aeterna* e coniectura Cellarii et, quod postea Drakenborchius vidit, ex margine editionis Romanae, ut sensus sit: si unquam

Italo cuiquam parcere possum, velim frater inimicus mihi fiat manesque meos Averno repellat, aut ex emendatione Livineii et Cortii (vid. Ernest. ad h. l. T. II. p. 348.) *inimicos sede repellat Aeterna*, probante Weicherto in Epist. Crit. p. 54. Hannibal igitur, utramvis eligas lectionem, per prolepsin de se atque de iis loquitur, quae ipsi, dummodo fratris ultionem negligeret, patienda essent. Simili modo Virgilius in Aen. I. 37.

mene incepto desistere *victam*

Epitheton *victam* assumsit ab eventu; quare nollem Heynium pronuntiasse, hoc vocabulum tantum e copia poetica additum esse. Nam quum Iuno Aenean placido mari navigantem et Italiae litora petentem vidisset, statim omnem illius vincendi spem sibi abiiciendam esse mente praevidet seque *victam* appellans eam rem iam ut effectam pronuntiat, cuius maximo terrore ipsa tenebatur. Quae prolepsis, ni fallor, sermoni poetico est egregie accommodata. Sed idem vocabulum in tribus aliis Aeneidos locis II. 354., 452. et V. 156. sine ulla prolepsi positum, de quorum ultimo plura, licet ad aliam sermonis proprietatem spectant, adiiciamus. Nam in ea, quam elegimus, Quaestionum nostrarum forma talibus digressionibus uti licet. Verba Virgilii sunt haec:

Et nunc Pristis habet, nunc *victam* praeterit ingens
Centaurus.

Haec non ita accipio: nunc vicit Centaurus eoque effecit, ut Pristin praeteriret, sed v. *victam* cum delectu a poeta positum esse puto, ne pronomen *eam* collocare cogeretur. Amant enim poetae latini Epici id pronomen in locis, celeritatis seu affectus plenis, omittere illamque notionem tum Participio tum Nomine aliquo repetito ita exprimere, ut scriptores similem iterationem, immo soni duritiem ferre maluerint quam ambiguitatis sibi contrahere suspicionem. Vid. Aen. IV. 379. *Scilicet is superis labor est*, *ea cura quietos* (i. e. *eos*) *sollicitat.* V. 293. *Hic*, *qui forte velint rapido contendere cursu*, *Invitat pretiis animos et praemia ponit*, ubi significatione praegnanti *animos* posuit poeta, ut pronomen *eos* vitaret. Nam quum *animi* de ferocia, audacia, furore cet. de hominibus (vid. Wagn. ad Georg. IV. 132. coll. Both. et Ianio ad Horat. Carm. IV. 9, 39.), immo de rebus inanimatis, ut apud Stat. Theb. III. 671. VII. 427., dicantur, tum aptissime in hoc loco singulorum certatorum sensus exprimitur ardorque eorum pugnandi vividiore modo describitur. Cfr. Walch. ad Tacit. Agric. 5. p. 149. et Fr. Iacob. in Specim. Edit. Manil., Posnaniae a. 1830. edito, p. 8. Add. Aen. VI. 891. *Exin bella viro* (i. e.

ei) memorat, quae deinde gerenda. X. 149. *Regem adit et regi memorat nomenque genusque.* 338. *Huic frater subit Alcanor fratremque ruentem Sustentat.* XII. 906. *Tum lapis ipse viri* (i. e. eius, Turni), *vacuum per inane volutus, Nec spatium evasit totum.* Simili ratione VII. 477. *Arte nova speculata locum, quo litore pulcher — feras agitabat Iulus,* ubi *quo lit.* sunt pro *quo loco in lit.* posita, ad quae verba interpretes v. 409. adduxerunt: *Dea tollitur alis Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem — Danae fundasse.* In talium locorum multitudine, qui non modo rhetoris dictioni, sed poetae quoque ingenio accommodatissimi iure dicuntur, miramur poetam nostrum in Aen. I. 413. scripsisse: *dea fudit amictu, Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset.* Sed iam Iahnius ad Horat. Carm. III. 11, 17. poetam in hoc loco in pedestrem sermonem incidisse recte iudicavit, cuius ipsi scriptores, interdum maiorem perspicuitatis quam elegantiae habentes rationem, idem vocabulum, quod praecessit, pro pronomine repetere solebant. Vid. Cicer. de Offic. III. 14, 58. *Et simul ad coenam hominem* (i. e. eum, Canium) *in hortos invitavit in posterum diem.* Orat. I. 51, 219. *Nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est ea de moribus hominum et scire et dicere, quae non abhorrent ab hominum moribus.* Livius I. 3. *is sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanae urbis, cognomen colli fecit.* Cfr. Creuzer. ad Cic. de nat. Deor. II. 30. p. 328. et Wyttenbach. ad Sel. Histor. Princ. p. 377. Locum tamen in Cic. de legg. I. 4, 8. Orellius, omisso altero voc. *sermonis*, recte constituisse videtur.

Quod genus dicendi multo luculentius in nominibus propriis apparet, quae et iuxta posita, ut Virg. Aen. X. 753. *At Thronium Salius Saliumque Nealces* (deiicit), cfr. ibid. v. 401. 705. 779., et modico interiecto spatio singularem vim orationi conciliant, inprimis ubi est commotior et variis affectibus incitata. Sic Virgil. Aen. V. 194. *Non iam prima peto Mnestheus neque vincere certo.* 354. *Si te lapsorum miseret, quae munera Niso digna dabis?* XII. 645. *Terga dabo? et Turnum* (Turnus ipse loquitur) *fugientem haec terra videbit?* Lucan. V. 753. *Vereor, civilibus armis Pompeium nullo tristem committere damno.* Valer. Flacc. I. 604. *Hinc animi structaeque viris fiducia puppis, Quod Borean sub rege vident.* Sil. Italic. II. 29. *Armatum Hannibalem* (Hannibal ipse loquitur) *poenae petit impia tellus.* Ovid. Heroid. IV. 74. *Quemque vocant alii vultum rigidumque, trucemque Pro rigido Phaedra* (i. e. me) *iudice fortis erat.* Metam. VII. 11. *Et luctata diu — Frustra,*

Medea, repugnas — ait. Aliorum poetarum locos Gronov. ad Senec. Thyest. 178., Bentlei. ad Horat. Satir. II. 2, 58., Iahn. ad Ovid. Metam. XV. 407. et ad Aen. I. 552., coll. Bachio ad Metam. IV. 745. contulerunt. E scriptoribus prosariis vid. Tacit. Dial. de caus. corr. eloq. c. 13, 3. *Testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum.* In q. l. Dronkius recte Ernestium, qui frigide nomen *Virgilii* repetitum meliusque abfore statuit, vituperavit. Cic. Leg. Agrar. I. 7, 22. *cum omni argento et auro Capuam et urbes circa Capuam occuparint.* Pro Leg. Manil. 11, 30. *Quod bellum exspectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum.* Wunderus, qui in Varr. Lect. libror. Cicer. p. LXIII. et p. XCI. auctoritate codicis Erfurtensis in utroque loco pronomen *eum* pro v. *Pompeium* et *eam* pro v. *Capuam* inducere voluit, iusto plus scripturae unius libri tribuit. Similia e graecis scriptoribus Krüger. ad Xenoph. Anabas. I. 3, 14. et 9. 15. et Blumius ad Lycurg. Orat. in Leocrat. 20, 5. collegerunt. Neque defuerunt, quod verbo tantum adiicio, inter poetarum latinorum interpretes, qui elegantiam aliquam in nominibus propriis sectarentur et nimis audacter nomina propria pro nominibus appellativis in ordinem recipere suaderent. Vid. Virg. Aen. II. 154. *Vos aeterni ignes et non violabile vestrum Testor numen*, quae verba Markland. ad Stat. p. 311. pro sua sola auctoritate scribendo *Vestae* p. *vestrum* immutavit. Sed rectissime contra eum Handius ad Stat. T. I. p. 84. monuit: „quo minus emendationem probem me impedit, non modo quod *Sinon* dicitur ad *sidera sustulisse manus*, sed maxime quod *Vestae* commemoratio et a persona et a conditione illius aliena esse videtur." In loco Georg. III. 219. *Pascitur in magna Sila formosa iuvenca* haec scriptura v. *silva* praeferenda esset, nisi cum Wagnero ad h. l. et in Quaest. Virgilian. XXXIII. 8. extr. totum hunc versiculum melius abesse et ex margine in carmen Maronianum irrepsisse statuas. Aen. III. 73. *Sacra mari colitur medio gratissima tellus Nereidum matri*, in quo loco Burmann. ad Ovid. Fast. VI. 177. temere scripsit: *grat. Delos*, cfr. Iahn. ad Virg. Georg. II. 486 [11]). Ab eodem de pluri-

[11]) Eadem ratione, quod hac opportunitate oblata monemus, feliciter emendatus est locus in Chronica Augustensi in Freheri Script. German. T. I. p. 349. Verba sunt haec: *Burcardus Halberstadensis Episcopus Luticiorum provinciam ingressus incendit, vastavit, avectoque equo (quem pro deo in rheda colebant) super eum sedens in Saxoniam*

bus locis Virgilianis, qui similes passi erant mutationes, ut Aen. I. 317. IV. 468. V. 620. et VIII. 685., docte disputatum est, neque minus a Wagnero ad Eclog. VI. 41. Add. Huschkium in Analect. Liter. p. 320. et nos in Excursu primo post Alexandri Lucianei editionem p. 118. et 119.

§. 3.

Iam ex hoc diverticulo in viam redeundum est. Itaque id prolepseos genus repetamus, in quo notio anticipata ita notioni consequenti annexa est, ut legentibus una modo notio repraesentetur. Vid. Virgil. Aen. III. 236.

Haud secus ac iussi faciunt *tectosque* per herbam
Disponunt enses et scuta latentia condunt.

i. e. disponunt enses per herbam ut tectos faciant, Servio interprete. Tum scuta condendo latere faciunt. Vid. ib. 267. *excussosque iubet laxare rudentes.* Grat. Cyneget. 262. *haud te tua culpa refellat Inter opus, quo sera cadit prudentia damno* i. e. sera est et irrita facta erit. 279. *Sed frustra longus properat labor* i. e. properat, ita ut longus evadat, interprete Sternio, quem vid. ad v. 357. Add. Sil. Ital. IX. 99. *condit membra occultata* p. condendo occultat membra. Senec. Herc. fur. 236. *Et adusta medius regna quae torret dies* i. e. adurendo torret. Cfr. Heinsius ad Sil. Italic. XI. 198. Tum Aen. IX. 762.

Principio Phalarim et *succiso* poplite Gygen
Excipit

ubi iterum Servius: excipit et succidit poplitem. Sed nulla est prolepsis in iis locis, quos Bachius contulit ad Metam. X. 457. In libro Aeneidos decimo v. 314.

Per tunicam squalentem auro latus haurit *apertum*,

ultimum vocabulum minime dixerim Epitheton otiosum, ut Heinrichius fecit ad h. l. Nam praesumitur id quod proprie consectarium est, ut et vulnerantem Aenean et vulnus, quo Theron ab eodem confossus prosternitur, uno quasi tempore lectores ante oculos habeant, ut VIII. 299. *non te rationis egentem Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.* Nam et hic ea, quae anguem ab Hercule conspectum secuta sunt, contrario ordine a poeta praesumuntur. Comp. XI. 666. *cuius apertum Adversi longa transverberat abiete pectus* ut Valer. Flacc. VI. 552. *illum aperit lato per pectus hiatu Ar-*

---

rediit. Sed G. L. Wedekindus in libro suo: *Noten zu einigen deutschen Geschichtschr. des Mittelalt.* Part. II. Nr. XV. docuit legendum esse *in Rheda*, quo nomine *Rhetra* in terra Wendorum significatur.

gus. Similiter duas notiones Euripides coniunxit in Bacch. 1054. *αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν θύρσον ἐκλελοιπότα κισσῷ κομήτην αὖθις ἐξανέστεφον,* et compendiaria dictione usus thyrsum et frondibus orbatum et denuo frondibus ornatum legentibus proposuit. Comp. Theocrit. Id. VII. 34. *μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ Ἁ δαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν,* quae tamen *ἀλωά* ita demum *εὔκριθος* nominari poterat, quando *ἀναπεπλήρωται.* Add. Schaeferum ad v. 70. et Wüstemann. ad II. 112. Similiter Horatius Epp. II. 1, 60. *artum* appellat *theatrum*, quod non per se est artum, sed multitudine *Romanorum* (*Roma potens* apte v. *arto th.* opponitur) artum fit, quippe quod non satis est spatiosum. Sed in loco Maroniano Heinrichius v. *haurire* bene interpretatus est. Scilicet in prosa oratione quod dicitur: *hauritur sanguine ensis* id poetae mutant in: *haurit ensis sanguinem* (vid. Ovid. Metam. VII. 333. et Bach. ad IV. 118.) et tum *corpus, latus* al. Vid. Aen. II. 600. *Iam flammae tulerint*, *inimicus et hauserit ensis* i. e. patrem, coniugem, filium. Ovid. Met. V. 126. *Haerenti latus hausit Abas.* Cfr. Drakenb. ad Sil. Ital. V. 524. Similem v. *ἀφύσσειν* usum Heinrichius exemplis illustravit. Eadem usus brevitate Virgilius in Georg. I. 319., de ventorum proeliis dicens:

> Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
> *Sublimem* expulsam eruerent

in quibus verbis elaboratissimis quantum praestet Epitheton *sublimem* Adverbio *sublimiter* vel circumscriptioni nullum, ut puto, fugiet, qui ab aliqua instructus est facultate poetica. Comparari possunt loci, gravitate tamen inferiores, infra v. 400. *non ore solutos Immundi meminere sues iactare maniplos* i. e. ut manipuli solvantur iactando seu, ut Plinii verbis in Histor. Natur. XVIII. 58. utamur, *turpes porci alienos sibi manipulos foeni lacerantes*, tum Georg. II. 353. *Hoc*, *ubi hiulca siti findit canis aestifer arva* i. e. ut hient aut hiulca sint, vel Aen. I. 637. *At domus interior, regali splendida luxu, Instruitur*, in quo luxus est causa splendoris. Add. Moret. 45. sq. *Contrahit admixtos tum fontes atque farinas, Transversat durata manu* i. e. circumvolvit, ut duriora fiant. Cfr. Iahn. ad Horat. Epod. 17, 5. Ornatius loquitur Euripides Supplic. 981. sq. *δάκρυσι νοτερὰν ἀεὶ πέπλων πρὸς στέρνων πτύχα τέγξω* i. e. *τέγγουσα νοτερὰν ποιήσω,* fere ut Ovidius Amor. III. 6, 57. *Quid fles et madidos lacrimis corrumpis ocellos.*

Mentione facta huius loci Ovidiani plura eiusmodi breviloquentiae exempla ex eius carminibus adiicimus, ut satis manifesto perspiciatur, quantopere ille poeta, artificiosae sermonis

formae studiosissimus, hoc praegnanti genere dicendi oblectatus fuerit. Vid. Metam. I. 303, *Delphines — incursant ramis agitataque robora pulsant*, quae robora a pulsando appellantur agitata. X. 381. *Dixit et aptabat pallenti vincula collo* i. e. omnis color abiit pallidumque factum est collum, postquam per vincula sibi mortem contraxerat, ut *pallida brachia* XIV. 734. et *laniata pectora* VI. 248. Add. XII. 434. *Fracta volubilitas capitis latissima*, in q. l. v. *latissima* ea indicat, quae e v. *fracta* sequuntur, id est, ut quam latissima fieret volubilitas; III. 76. *quique halitus exit Ore niger Stygio*, *vitiatas inficit herbas* et IV. 802. *Nunc quoque*, *ut attonitos formidine terreat hostes — Sustinet angues.* Idem vocabulum in Trist. V. 3, 38. positum est: *Sic tibi cum Bacchis Satyrorum gnava iuventus Adsit et attonito non taceare sono* h. e. ut sonus attonitos reddat Bacchi cultores [12]). Porro III. 12, 36. *Ille quidem, mirum ni de regione propinqua Non nisi vicinos tutus ararit aquas* i. e. ut tutus esset post peractam navigationem. Add. II. 480. *Ut mage velle sequi sciat et revocare priorem Ne tuto fugiens incomitatus eat*, ubi participium *fugiens* rem ut perfectam designat, de qua perficienda modo erat cogitatum. Similiter ab Euripide Electr. 731. (al. 741.) appellantur ἀσφαλεῖς δρόμοι, qui absoluto tantum certamine ita nominari poterant. Cfr. Iahnius ad l. l. Ovidii et Bach. ad Metam. I. 32. et XIII. 603.

Qua felici audacia Virgilium illam prolepseos figuram in suis carminibus adhibuisse intellexerant seriores poetae epici, eandem sibi quoque assumere et suis carminibus splendorem tribuere et ornatum non dubitarunt Silius Italicus, Valerius Flaccus, Statius aliique perpetui Maronis imitatores. Placuit illis in primis hoc, de quo nunc agimus, prolepseos genus notionumque anticipatio et condensatio in unam, quam legentibus repraesentarent, imaginem, alterum vero, quod infra illustrabimus, genus neglexerunt et fere intactum reliquerunt. Ita Silius Italicus, ubi ad Cannensem pugnam describendam pervenit, VIII. 625. de Romanis canit:

Defigunt diro signa *infelicia* vallo

---

[12]) Conferatur Klopstockius in epistola ad Ebertum:

So traf der Gedanke
Meinen erschütterten Geist.

et Schillerus in tragoedia Shakespearii: Macbeth (Act. I. sc. 6):

Und schüttelte
Dein Lob in sein erstauntes Ohr.

ab eventu proelio tristi Epitheton eligens, ut XVII. 85. *Nam surdas coniux obstruxerat aures.* Sic Valerius Flaccus VI. 666. de Austro: *at illum Protinus immanem miserae sensere carinae* i. e. quae aliquando patiuntur naufragium et ob metum, quo torquentur nautae, appellatae sunt *miserae*, ut apud Statium Theb. V. 514. silvae, quas atterit serpens Lernaea, nominantur *miserae*, quia afflatu serpentis dehonestatae erant et quasi turpatae, sicuti sub eo *arva gemere* (v. 525.) et *campus ad sibila mori* (v. 529.) dicitur, seu quia tam miserandam rem, qualis erat Archemori interitus, praesentes adspexerant, ut apud Valer. Flacc. III. 584. *Silva conscia late pavere* dicitur et montes, litora, flumina, haud raro humanis sensibus praedita a poetis inducuntur (vid. Drakenborch. ad Sil. Italic. X. 498. et Wüstemann. ad Theocrit. XVII. 64.), cuius licentiae exempla vel apud historicos inveniuntur, teste Drakenborchio ad Liv. VI. 24, 11. itaque iam glossa interlinearis, quam Barthius refert, *fractae*, *contaminatae* eum prohibere poterat, quo minus hoc Epitheton egregie suspectum haberet et cum alio commutatum mallet. Deinde haec lectio, si eo opus esset, aliquid praesidii ex eo poetarum more sibi peteret, quo rem eventu probatam uno vocabulo expressam narrationi intexere soleant, suum iudicium ita interponentes, ut lectores ea, quae deinde traduntur, iam mature divinare queant. Qua in re vel Adiectivis vel Adverbiis utuntur. Vid. Ovid. Metam. IX. 682. *Sed tamen usque suum vanis Telethusa maritum Sollicitat precibus*, in quibus Ovidius v. *vanis* e sua mente addidit, ut in simili loco XIV. 364. Ita *nequidquam* apud Virgilium legitur, ut Aen. II. 570. *Arma — Circumdat nequidquam humeris et inutile ferrum Cingitur* et IX. 364. *Haec rapit atque humeris nequidquam fortibus aptat.* In his locis, ut in tertio Aen. VII. 652., id anteposuit Virgilius, quod ut consequens cogitari debet: cfr. Ovid. Met. VI. 475 — 477. *Philomela — ut eat visura sororem, Perque suam contraque suam* (haec Ovidii est mens) *petit usque salutem.* Add. Obbar. ad Horat. Epp. I. 2, 11. p. 28.

Ad Statium redeuntes commemoramus locum Theb. IV. 755. *imbelli sed nunc sitis anxia fato Submittitque animos et inertia robora carpit* i. e. ut inertia fiant. Add. V. 707. 708. *geminusque ad spumea Triton frena natans, late pelago dat signa cadenti*, in quo loco, quod Barthius coniecit, *cadendi*, prosae scriptori satis esset accommodatum, in Statii vero carmen recipi non potest. Etenim signum datur pelago, *ut cadat*, quae notionis anticipatio similibus locis egregie confirmatur. Vid. ipsius Statii Silv. III. 2, 3. *Disternite molle fre-*

tum (ut molle sit) *placidumque advertite votis*, tum Catull. 11, 3. *Litus ut longe resonans Eoa Tunditur unda* i. e., Silligio interprete, tunditur ita, ut longe resonet, et eundem in Epithal. Thet. et Pel. 271. (quem locum ex Heinrichii annotatione ad Aen. X. 87. repeto) *Zephyrus proclivas incitat undas* i. e. ita ut sint proclivae, et Virgil. Aen. X. 103. *premit placida aequora pontus*, ita ut placida fiant. Nam pontus, qui proprie premitur et coërcetur, paullo liberiore constructione undas et aequora *premere* dicitur, ut v. *premere* p. coërcere collocatum est in Georg. II. 156. *Et ruris opaci Falce premes umbras* i. e. frondes amputando coërcebis: cfr. Ovid. Metam. XIV. 628. Ultimo loco comparamus v. 197. Carm. Culicis: *Nec prius adspiciens timidos caecaverat artus*, in quo *artus timidi* per prolepsin dicuntur pro: facere, ut artus timidi fiant, iudice Silligio ad h. l., ad cuius annotationem (T. IV. p. 81.) lectores ablegamus. Eadem loquendi ratio in Lucani Pharsalia haud semel apparet. Vid. l. 305. *implentur validae tirone cohortes*, ad q. l. Cortius contra eos, qui lectionem *valido tirone* poetae obtrudere voluerunt, apte observavit: „Sed hoc ipsum est poetas nescire, qui singulari studio ab eventu Epitheta desumunt. Tum idoneos commemoravit locos: v. 465. *Deseritis ripas et apertum gentibus orbem*. II. 536. *Tetigit sanguis pollutos Caesaris enses*. IX. 406. *Sic ille calentes Accendit — animos*, qui tamen locus eximendus est, si scribatur *parentes Incendit — animos*. Hoc Oudendorpius e bonis libris praetulit, quem G. E. Weberus et Weisius nuper secuti sunt, Martyni-Laguna retinuit *calentes*.

Ultimus, qui ad nostram aetatem pervenit, Epicorum Claudianus hac prolepseos figura lectores suos tantopere fore delectatos censuit, ut eam in carmina sua saepissime inferre haud dubitaret. Ita in panegyri Probi et Olybrii gloriam Probi v. 33. late fusam esse dicit, *quam nec ventura silebunt Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas*. Nam *nub. ign.* est quae ignorantiae tenebras rebus obducit. Tum in eodem carmine v. 250. *iam profluat ebrius amnis* (qui potest facere ebrios) *Mutatis in vina vadis* [13]). In Rufin. I. 165. *Sic rex ad prima tumebat Maeonius, pulchro quum verteret omnia tactu* i. e. tactu omnia vertebat, ut pulchra per hunc ipsum fierent. Similiter v. 280. Perseus inducitur *rigida cum Gorgone*, quae

---

[13]) Ita Schillerus in carmine: *die Ideale:*
Die Ideale sind zerronnen,
Die einst das trunkne Herz geschwellt.

alios rigore implet, ut *pallida mors* apud Horatium Carm. I. 4. 13., et contra Eurotas appellatur a Statio (Theb. X. 497.) *rigidus* ob mores severos et rigidos accolarum. Porro vid. Claudianum de tert. Consul. Honorii V. 122. *submissus adorat Eridanus, blandosque iubet mitescere fluctus*, in quo voluntas et effectus coniunguntur, ut de Rapt. Proserp. I. 129. de vitula: *nec nova lunatae curvavit germina frontis* i. e. cornua nondum tam curvata erant, ut frontem lunatam efficereut, et ibid. v. 209. *Non luxus*, *non aera sonant: blandosque leones Submisere iubas.* Cfr. Barth. ad Rapt. Proserp. I. 74.

§. 4.

Locis, qui ad primum prolepseos genus referuntur, allatis ad alterum huius schematis genus progredi placet. Hoc quidem oritur a particula causae seu consequentiae apud mentem ita addita, ut duae prodeant enuntiationes. Scilicet hoc genus similiter in coniunctione conatus seu molitionis cum re effecta positum, differt tamen a superiore, quod maiorem habet vim nosque non uno tantum obtutu totam actionem considerare iubet, sed id efficit ut legentes per aliquod tempus in eadem re immorentur et perfectiorem imaginem mentibus suis informent. Itaque interdum pluribus vocabulis ad unius Epitheti vim declarandam opus est. Ac primum quidem Virgilius, quem, ut alios quoque poetas, conatum rei una cum re effecta et absoluta coniunxisse demonstravimus, ita utitur Epithetis, ut his orationis partibus ipsum significetur temporis momentum, quo actio substitit et perfecta appellari potuit. Scriptores pedestris sermonis in talibus particulas *donec*, *dum*, *quod* ponere solent. Vid. nostrum Aen. I. 69.

Incute vim ventis *submersasque* obrue puppes

i. e. obrue donec submersae fuerint. Servii verba haec sunt: ordo est in sensu confusus: ante enim est, ut obruantur fluctibus et sic submergantur." Alia ratione Wagnerus in Quaest. Virgil. XXVIIII. 5. p. 514. hunc locum interpretatus est: submerge et obrue. Sed vide locos, qui sequuntur, ut Stat. Theb. IX. 682. de Diana, quae in loco adstitit:

saevis ubi quondam exserta sagittis
Fecundam *lasso* Nioben consumserat *arcu.*

h. e. quae strenua et laboriosa sagittis suis Niobes, matris fecundissimae, prolem confixerat, donec ipse arcus a vulnerando esset defatigatus, sicuti Claudianus de Rapt. Proserp. I. 240. s. *nec flumine tanto Incoctum maduit lassa fornace metallum. Lassa fornax* in h. l., cuius sensum Gesnerus bene explanavit, videtur intelligi, cuius omnes vires impensae sunt, ut ea nihil

amplius effici possit. Quare non opus esse videtur lectione *lassa fornace*. In loco Statiano v. *exserta* a vetere glossatore explicatur: exercitata, strenua, expedita, quibus Barthius addidit, se alia occasione de usu h. v. non vulgari disputaturum esse. Quod quo loco factum sit ignoro. Sed Diana *exserta* appellatur ut virgo ad pugnam, uno humero denudato, instructa (ita *exsertus Cethegus* apud Lucan. II. 543.), cuius pugnae modum ipsiusque Deae habitum uberius describit ablativus: *saevis* i. e. Niobae eiusque proli infensis, *sagittis*: vid. Wagner. ad Aen. IV. 517. Participii passivi collocatio in actione ipsa e more poetarum Latinorum est, ut Statius habet Theb. VI. 356. *citharaeque manus insertus Apollo*, XI. 199. *Eumenis — Inachii vultus expressa tyranni.* Alia exempla vid. apud Markland. ad Silv. II. 3, 53. p. 236. ed. Dresd., Heins. ad Valer. Flacc. I. 491., I. A. Wagner. ad I. 398. et VI. 630., Heindorf. ad Horat. Satir. I. 6, 74. et Frotscher. ad Quintil. X. 3, 20.

Regressi ad Virgilium locum afferimus Aen. VII. 626.

Pars leves clipeos et spicula *lucida* tergunt
Arvina pingui.

Ausones enim tergunt (vid. Weber. ad Iuvenal. p. 365.) clipeos et spicula, donec iis ab omni squalore puris et liberis splendorem reddiderint priorem [14]. Cfr. Ovid. Metam. XI. 508. *Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim Quum laceras aries ballistave concutit arces* i. e. donec lacerae fiant arces. Hinc scribendum esse videtur in Elegia Phanoclis v. 8.

Τὸν μὲν Βιστονίδες κακομήχανοι ἀμφιχυθεῖσαι
Ἔκτανον, εὐήκη φάσγανα θηξάμεναι.

pro *εὐμήκη φάσγανα*. Nam bene Ruhnkenius in Epist. Crit. II. p, 301. „Trincavellus et Gesnerus *εὐμήκη* ediderunt. At alii libri, in his Leidensis, rectius *εὐήκη* praebent.“ Vid. Schaefer. ad Gregor. Corinth. p. 533., prioris lectionis patronum, quem tamen, qui hoc carmen versibus latinis praeclare expresserunt, Axtius et Riglerus, non secuti sunt: Contra recte, ut fieri solet, Iacobsius in libro elegantissimo: *Leben und Kunſt der Alten* (Script. Misc. T. II.) p. 122. *Feindlich mit Schwertes Gewalt, das sie ihm frevelnd geschärft.* Porro in Aeneid. VIII. 259. sq. legitur:

---

[14]) Vide Schillerum in Fridolino:
Und ***bildsam*** *von den mächt'gen Streichen*
Muſs selbst das Eisen sich erweichen.

Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus et angit inhaerens
Elisos oculos et siccum sanguine guttur.

Hercules Cacum corripiens ita arcte tenet complexum, propterea quod armis ipsum aggredi non potuit, donec oculi illi elidantur omnisque sanguis e corpore abeat. Tum mors Caci nulla amplius eget explicatione, quod iam Servius observavit. *Siccum guttur* eadem fere ratione dicitur ut apud Ovidium Ep. ex Pont. I. 4, 17. *Quae* (navis) *nunquam liquidis sicca carebit aquis.* Cfr. Aen. IX. 537.

quae plurima vento
Corripuit tabulas et postibus haesit *adesis.*

i. e. donec adhaerendo postes cremati fuerint sive, ut Servius vult, „non iam adesis, sed quos exedit adhaerendo." Tum X. 87.

Est Paphos Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid gravidam bellis urbem et corda *aspera* tentas?

Quae verba resolvas: quid tentas corda, donec aspera et ad bellum promtissima fiant? Comp. Sil. Ital. IV. 41. de Hannibale, milites suos defatigatos exhortante: *Solandique genus laetis ostentat ad urbem Per campos superesse viam Romamque sub ictu* i. e. hac oratione, aditum ad Romam esse per planas vias et ipsam urbem in periculo praesentissimo tantum solatur milites, donec laeti sint. Similiter Lucanus VI. 38. *Franguntur montes planumque per ardua Caesar ducit opus* i. e. quae sunt ardua consternit, donec opus per planum ducatur. Add. I. 167 — 170.

tum longos iungere fines
Agrorum et quondam duro sulcata Camilli
Vomere et antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.

In quo loco Christius et Ieverus aliique haerere non debebant. Nam *longa rura extendere* est per tantum tempus extendere, donec maximus eorum sit ambitus, neque abhorret usus v. *longus* ab aliorum poetarum consuetudine, ut Aen. XI. 544. *iuga longa*, Ovid. Met. XIII. 407. et Fastor. VI. 341. *longus Hellespontus*, *longa aequora* Met. XIII. 961. Tum quod tertio abhinc versu praecessit v. *longus* plurimis eiusdem repetitionis exemplis viri docti satis tuiti sunt, quos excitavi in Quaest. Lucian. Spec. I. p. 30. sq., quibus adiungantur Iahn. ad Ovid. Met. XV. 104., ad Horat. Carm. I. 3, 28., ad Aen. I. 315., Wagner. ad Virg. Eclog. VI. 16., ad Georg. II. 125., ad Aen. V. 181. et VI. 901., Ellendt. ad Cic. Brut. 18, 69. Kritz. ad

Sallust. Catil. 9, 4., Wellauer. ad Apoll. Rhod. I. 324. aliique, quos hic enumerare longum est. *Coloni* vero *ignoti* apud Lucanum sunt, ut Lipsii Elect. II. c. 15. verbis utar, ergastularii servi, alienigenae, plerumque et a longinquo coelo in Italiam collecti. Denique usus praepositionis *sub* in h. l. paullo rarior est, optime tamen facit ad verborum perspicuitatem, dum terra, quae voluntati pravorum colonorum paret, *sub iis* esse et a pedibus talium hominum culcari dicitur, quos terra ipsa ut malos dominos et prioribus longe dissimiles indignabunda fert. Ita apud eundem Lucanum in elaboratissima quercus imagine (I. 136 — 143.), quae non nisi invita ad terram deprimi commemoratur, legimus v. 141. *At quamvis primo nutet casura sub Euro — Sola tamen colitur.* Etenim magna quasi cum indignatione Euri vim patitur. Add. Statium Theb. V. 463. s. ubi sic Hypsipyle loquitur: *thalami monumenta coacti Enitor geminos duroque sub hospite mater Nomen avi renovo*, quibus comparamus Virgilianum (Aen. VIII. 291.) *ut duros mille labores Rege sub Eurystheo — Pertulerit.* Cfr. Ovid. Trist. V. 10, 4. et Bach. ad Metam. V. 62. In his igitur locis primum apparet notio rei humilis et in inferiore loco positae, cui aliud quid imminet (vid. Wagner. ad Georg. II. 157. et ad Aen. I. 681.), ut in Graecorum ὑπὸ, cfr. Homer. Odyss. IV. 635. *ἔνθα μοι ἵπποι Δώδεκα θήλειαι, ὑπό θ' ἡμιόνων ταλαεργοί* i. e. qui pulli sub matre sunt et ubera trahunt et apud Sophocl. Oed. Colon. 676. (al. 670.) sq. *ἔνθ' ἁ λιγεῖα μινύρεται θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν χλωραῖς ὑπὸ βύσσαις*, quam praepositionem de situ vallis positam esse iudico, ut Aen. IX. 244. *Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem*, germ. *tief im Thale*, vel v. 195. *Tumulo videor reperire sub illo Posse viam ad muros et moenia Pallantea* i. e. viam faciens ad imas tumuli radices, qui ingredientibus impendet. Talibus in locis, ubi montium, arborum aliarumve altiorum rerum imagines animo cum vi informandae sunt, praepositionem *sub* poni pro praepositione *in*, recte annotarunt Burmann. et Bachius ad Ovid. Metam. I. 698. Ex hac igitur observatione vel ii loci explicari possunt, in quibus poetae insolito modo locuti esse videntur, ut Ovidius in Metam. XV. 432. 433. de Roma:

> Apenninigenae quae proxima Thybridis undis
> Mole *sub* ingenti rerum fundamina ponit.

Gierigius interpretatus est: ut moles ingens superstruatur. Ad loci sententiam recte, sed ut verba ipsa accuratius intelligamus, inferior ille locus statim ante oculos ponendus est, in quo urbs Roma tum fundamenta sua posuit, super quam res magnas in

postero tempore exstruendas esse praesagit poeta. Alius huius generis locus est apud Statium Theb. XI. 414 et 415.

Ut lea, quam saevo fetam pressere cubili
Venantes Numidae, natos erecta superstat
Mente *sub* incerta, torvum et miserabile frendens.

Lea incertae mentis, utrum natos tueatur an in venatores incurrat, describitur a poeta, omni corpore erecta et, ut in sequentibus est, a media ira catulos circumspiciens. Itaque quae ipsa in animo volvit inferiora quasi toti illius figurae esse Statius voluit et hanc ob causam, ut puto, praepositionem *sub* elegit, quae illam leaenae conditionem non inepte depingit. Similiter accommodatum ad rem ipsam est illud *superstare*, cui componamus Taciti locum e German. 31. *Super sanguinem et spolia revelant* (Chatti) *frontem*, qui de cadavere sanguinolento et spoliis ab hoste receptis explicandus est. In tertio loco, qui iterum est Ovidii in Trist. I. 3, 19.

Nata procul Libycis aberat diversa *sub* oris

idem usus praepositionis esse videtur, ut nostri poetae haud raro praepositiones *in* et *auf* permutare solent. Neque aliter Virgilius Aen. XII. 811. *Sed flammis cincta sub ipsa Starem acie, traheremque inimica in proelia Teucros*, ad q. l. Wagnerus constructionem praepositionis *sub* subtiliter explanavit.

Atque haec quidem de prolepticis Epicorum latinorum Epithetis. Alia exempla a viris doctis passim commemorata et illustrata sunt, ut a Webero ad Iuvenal. p. 224., a I. Fr. Wagnero in Seebodii Biblioth. Crit. a. 1821. Part. X. p. 854.; a Sillgio ad Catull. Carm. 11, 3., ab Obbario ad Horat. Epp. I. 2. p. 73. quibuscum conferas eiusdem observationes in Supplement. Iahnian. Annal. a. 1833. Vol. II. P. IV. p. 502. sq. et I. B. Ahlemeyeri in scriptione scholastica de prolepsi, quam Paderborniae a. 1827. edidit. Add. Meyerum in Comment. de Epithet. Ornant. p. 23. sq. De usu latinorum scriptorum prosae orationis legendus est Beiern ad Cic. de Offic. II. 16, 56.

§. 5.

Restat ut pauca in appendice ponam de Lyricorum poetarum consuetudine. Etenim Lyricis Latinorum poetis hoc prolepsis schema in maximis deliciis fuisse, me non monente, apparet, quo aptius subsidium ad carmina exornanda et actiones vividis coloribus depingendas vix ullum aliud cogitari potest. Huc Tibulli locus I. 1, 36. referendus est:

Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et *placidam* soleo spargere lacte Palem,

i. e. ut placida sit, ad q. l. Dissenius comparavit 2, 6. *Clauditur et dura ianua firma sera.* 9. 66. *Et gerit insigni myrtea serta coma.* 8, 51. *Illius et nitido stillent unguenta capillo* et alios locos. Idem vir doctus in loco I. 3, 51.

Parce pater! *timidum* nec me periuria terrent

prolepsin nullam esse statuit, sed hunc esse sensum, bene monente Wunderlichio: Serva me Iupiter, non mihi criminis conscius sum; quum saluti meae timeo, non est periuriorum conscientia et metus poenarum futurarum huius timoris causa. Sed Bachius ad h. l. et Iacobs. in Anthol. Lat. T. II. p. 65. prolepsin in hoc loco inesse iure, ut nobis videtur, viderunt. Scilicet Tibullus non in universum aut absolute se vocat timidum aut anxium de salute sua, quae Wunderlichii fuit sententia, sed hunc timorem a se abesse gaudet, propterea quod nulla periuria commisit. Timidum igitur se appellat, quasi sibi metuendum sit, ne alia mala, quibus Iovis regnum abundat, in ipsum ingruant. Cfr. Propert. IV. 8, 15. (al. 7. 15.), *Seu timidum crebro dementia somnia terrent*, quem locum iam Bachius contulit. In Tibulli I. 10, 46. probamus scripturam Broukhusii:

Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit *aratores* sub iuga panda boves.

Vulpius, Huschkius, Dissenius praetulerunt *araturos boves*, quum *aratores boves* tum demum appellari potuissent, quum diuturnus eorum usus in arando fuisset, quam longam arandi consuetudinem hoc vocabulum notare dixit Vulpius. Sed recte eam ipsam ob causam Iacobsius l. c. p. 83. per prolepsin boves ita appellatos esse scripsit. Nam sunt boves quasi pacis signum et ipsis ad arandum ductis pax significatur: unde per anticipationem id vocabulum elegit poeta, e quo illa natura boum, etiamsi nondum in arando campo adhibiti erant, optime appareret. Cfr. Bremi ad Cornel. Nep. Agesil. 4.

De locis Horatianis, qui per hoc genus dicendi explicantur, inter viros doctos fere nulla est controversia. Tam egregie sunt omnia disposita, ut suus quemque sensus doceat, vatem Venusinum neque aliter scribere potuisse, quam in libris scriptis invenimus. Ita Carm. II. 9, 1.

Non semper imbres nubibus *hispidos*
Manant in agros.

5, 12.

Iam tibi *lividos*
Distinguet auctumnus racemos
Purpureo varius colore

quem locum debemus Wellauero l. c. p. 466. Tum III. 16, 19.

Iure perhorrui
Late *conspicuum* tollere verticem.

Alios locos ex Horatio Ahlemeyerus l. c. collegit, ut Carm. I. 3, 23. 31, 7. 37, 6. II. 1, 19. 9, 5. 14, 1. Satir. I. 10, 9. II. 2, 16. 3, 43. Cfr. Iahn. ad libr. de art. poet. v. 294., Schmid. ad Epp. II. 1, 80., Obbarius ad Epp. II. 1. p. 73. Neque nostrae gentis carmina Lyrica similibus carent exemplis summique Germanorum poetae versibus suis hac ratione nitorem affundere haud aspernati sunt [15]).

Quantopere hic dicendi modus Graecis placuerit poetis ex istis exemplis, quae passim in superioribus apposuimus, abunde patebit. Tragici inprimis saepissime hanc dicendi elegantiam captaverunt, neque minus Pindarus, rarius Theocritus. Ut e Tragicis nonnulla adiiciamus vid. Aeschyl. Agam. 1220. *εὔφημον, ὦ τάλαινα, κοίμησον στόμα*, ibiq. Wellauer. Choeph. 618. *τὴν δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων* i. e. *ὥστε ἀθέρμαντον εἶναι*. Pers. 290. *ἄναρχον* (vulgo *ἄνανδρον*) *τάξιν ἐρήμου θανών* i. e. *ἐρήμου τὴν τάξιν, ὥστε ἄναρχον εἶναι*, Wellauero interprete. E Sophoclis tragoediis plures locos adhibuimus; illustre, ut loquitur Hermannus ad Oedip. Colon. 1200., exemplum est in verbis: *τῶν σῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος* pro: *ὥστε γενέσθαι ἄδερκτα*. Add. Hermann. ad Viger. p. 897., ad Soph. Antig. 524. 872. et ad eiusdem fabulae v. 25. Wexium, Heller. ad Oed. Colon. 1194., Reisig. Comment. Critic. ad v. 1227. p. 350., Seidler. ad Eurip. Electr. 442., Werfer. in Act. Philol. Monac. T. I.

---

[15]) Vide Klopstockium in paraphrasi Orationis Dominicae:
Er hebt mit dem Halme die Ähre empor,
Reifet den goldnen Apfel, die Purpurtraube.

I. H. Vossius in carmine matutino:
Wie herrlich strahlt die Sonn' empor
Und weckt des Lebens lauten Chor.

Goethius in Sponsa Corinthiaca:
Und der alten Götter bunt Gewimmel
Hat sogleich das stille Haus geleert.

quae feliciter Maur. Seyffertus in Carmin. Schilleri et Goethii latine reddit. p. 39 ita vertit:
Iamque chorus veterum vario splendore Deorum
Deseruit vacuae limina sola domus.

Add. Schillerum in Wallenstenii Morte Act. III. sc. 6:
Seh' ich nicht, dafs alles Lebensblut
Aus euern geisterbleichen Wangen wich.

Part. II. p. 266. Weliauer. In Additam. ad Vechner. Hellenolex., Vratislaviae a. 1828. editis et in Supplement. Annal. Philolog., quorum curam Iahnius habet, a. 1832. Fasclc. 3. repetitis, p. 405., et Sillig. ad Catull. 11, 3. E Pindaro vid. Nem. VI. (75.) 47. *πλατεῖαι πάντοθεν λογίοισιν ἐντὶ πρόσοδοι νᾶσον εὐκλέα τάνδε κοσμεῖν* ibique Huschk. ad Tibull. II. 1, 54., Olymp. I. 67. *πρὸς εὐάνθεμον ὅτε φυὰν λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον* i. e. ut nigresceret, velut in Fragment. 144. Diss. *ὁπότε θεὸς ἀνδρὶ χάρμα πέμψῃ, πρὸς μέλαιναν καρδίαν ἐστυφέλιξεν*, ad qnos locos vid. Dissen. Comment. p. 16. p. 672. Comp. Olymp. X. (XI.) 95. et Dissen. ad Isthm. III. 63. p. 556., qui docet, hanc loquendl rationem non ubique in Pindari carminibus admittendam esse. Idem fere de usu Theocriteo Wüstemannus ad II. 112. praecepit, attamen in loco XII. 37. (*Λυδίῃ ἶσον ἔχειν πέτρῃ στόμα, χρυσὸν ὁποίῃ Πεύθονται μὴ φαῦλον, ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί*) e Iacobsii sententia *ἐτήτυμον* arcte cum *χρυσὸν* coniungendum et pro proiepsi habendum esse statuit, ita ut hic esset sensus: genuinum aurum explorant, ut non falsum et adulteratum esse illud certo experimento constet. Add. Schaefer. ad VII. 34. p. 215.

De prosarils Graecorum scriptoribus vid. Krüger. in prolusione scholastica in Demosth. Philipp. (a. 1826. in lucem emissa) p. 20. et in annotatione ad Xenoph. Anabas. I. 5, 8., Fritzschium in Quaest. Lucian. p. 39. sq., Schaefer. ad Gregor. Corinth. p. 533., p. 1047. et in Apparat. Crit. in Demosth. T. I. p. 239., Vömel. in commentar. ad Demosth. Orat. Philipp. p. 73. et p. 165. et Lübkerum in libri: *Grammatische Studien* Fasc. I. p. 33 — 37. Quae Matthiaeus contulit exempla in Grammat. Graec. §. 446. not. 2. (T. II. p. 836. ed. alt.), ea maximam partem e fabulis Tragicorum repetiit.

Pars tertia.

De Epithetis Geographicis, Historicis et Mythologicis.

Caput primum.

De Epithetis Geographicis.

§. 1.

Epithetorum, quae communi Geographicorum vocabulo complecti placet, fons uberrimus mirum fuit illud veterum poetarum studium in exornanda locorum regionumve natura positum, quod quidem primum in fluviis, hortis, rivis, pratis, silvis, arboribus, vineis, olivetis, graminibus aliisque huius generis rebus ostendebant easque variis appellationibus pro illarum celeritate, viriditate, amoenitate, magnitudine et nitore in operibus suis distinguere nunquam negligebant. Neque insolitus talis Epithetorum usus iis esse potest, qui quantam delectationem Romani omnis temporis e vita rustica rebusque ruris cultissimis ceperint, secum reputant, unde sponte sua apparet, poetas, qui agrorum amoenitates, arborum umbras vel proceritates, pratorum colores, fontium susurros et ceteras vitae rusticae delicias cecinerunt, has quoque res splendidis vocabulis exornasse et placentem ruris imaginem idoneis coloribus, ut boni pictores facere solent, effecisse. Quibus in descriptionibus si eximii poetae Latini interdum diutius immorati sunt, quam nostrae aetatis hominibus par esse videtur, suam excusationem omnino habent neque Epitheta huius rei causa delecta otiosa dicenda sunt vel inania, id quod nuper bono cum successu Dissenius in multis Tibulli locis demonstravit. Alterum Epithetorum Geographicorum genus poetae in revocandis prioris temporis nominibus, laudis vetustae gloriaeque maiorum ple-

nis, satis feliciter inveniebant atque cum eo commemorationem urbium vel terrarum, quae una vel alia re nobiles erant et ab omnibus celebrabantur, scite coniungebant. Itaque et suavissimae narrationis et magnae doctrinae laudem apud aequales sibi conciliabant, quod in sequentibus uberius declarabimus. Iam vero ad prius illud genus Epithetorum redeuntes statim ab initio commemorandae sunt Burmanni observationes ad Ovid. Amor. III. 6, 4. et ad Valer. Flacc. V. 180., in quibus de contrariis Epithetis erudite disputat, quae poetae iisdem rebus geographicis dederunt, et inprimis de illis fluviis, qui a poetis vel rapidi vel placidi diversa appellatione nominati sunt. Haec sunt Burmanni verba in fine posterioris annotationis: „unicum illud monendum, poetarum scripta non ad leges semper verae historiae esse exigenda, quum illis indulgere saepe ingenio liceat et ipsas rerum et locorum naturas mutare et argumento suo accommodare, dummodo speciem veri et decori servent. Praesertim ubi res magnas canunt, ut fuit expeditio Argonautica, tunc omnia debent cum maiestate quadam augeri et ipsa flumina, licet re vera placida et tenuia essent, induci rapida et maxima." Et nos quoque Burmanno libenter concedimus, poetarum scripta non semper ad illam normam, qua philosophiae et logices magistri utuntur, esse exigenda, ut paullo infra e plurium locorum comparatione apparebit, sed Burmannus, ni fallimur, nimiam statuit ingeniorum licentiam et in rebus fingendis libertatem. Contra ad duo in talibus est attendendum, ut recte vidit Handius ad Stat. Silv. I. 3, 22. p. 372. Nimirum in diversis fluminum, quae ipsi poetae saepius viderunt, descriptionibus, non modo grata quaedam inest licentia, sed imago fluminum revera est diversa pro diversa ratione locorum, temporum et anni tempestatum. Nam nullus fere est fluvius, qui non licet aestivo tempore sit placidissimus, hiberna tempestate a nivibus, pluviis et similibus augetur, aquas volvit rapidiores et ipse incitatior fertur. Ita, ut in patria Romanorum poetarum terra subsistamus, in Virgil. Georg. III. 14. Mincius appellatur *ingens*, qui ab aliis et a recentioribus Italiae peregrinatoribus ut parvus fluvius describitur. Sed eum interdum ripas suas superasse et loca vicina inundasse atque longe diversam speciem praebuisse, Heynius ad h. l. docuit [1]). Similiter qui a Virgilio Aeneid. VII. 728. *vadosus* appellatur Vulturnus, quum ab aliis rapax et celer nominetur, non aliter cum his Epithetis componi potest quam per rationem

[1]) Itaque parum recte A. G. Kephalides in Itiner. Ital. T. I. p. 21. iudicavit.

naturalis illius mutationis. Eandem Statio suo Handius vindicavit l. c., in quo Anien

infraque superque
Saxeus, hic tumidam rabiem spumosaque —
Murmura

posuisse dicitur. Scilicet, Handio bene mouente, Anio aliis in locis praeceps per devexa volvebatur, aliis tacito flumine devehebatur, divisus in plures aquarum rivos. Quod et hodierna illorum locorum conditio confirmat, teste Christ. Müllero in libro: *die römische Campagna* T. I. p. 229. et p. 240.

Sed altera ratio est eorum locorum, in quorum descriptione, ut in terris externis atque a scribentis patria remotis, liberiorem fictionem poetae sibi indulserunt. Abusi quidem sunt nonnulli poetae hac libertate, sed in plurimis locis Epitheta a magnitudine, celeritate, pulchritudine et suavitate desumta optime cum argumento rei narrandae congruunt. Vid. Virg. Aen. I. 317. de Harpalyce Threissa:

volucrem — fuga praevertitur *Hebrum*

ut recte Iahnius et Wagnerus, repudiata scriptura *Eurum*, ediderunt. Saepe enim cursus celeritas cum fluviorum impetu comparatur et celerrimus Hebri cursus saepius a poetis laudatur: vid. Sil. Ital. II. 74., Stat. Theb. IX. 438., Claudian. in Rufin. I. 332., quos locos Wakefieldio debemus. Qui fluvius si ab Ovidio Fastor. III. 737. *arenosus* appellatur, non est tanta huius testimonii fides, ut scriptura in loco Virgiliano immutetur. Simili ratione non puto obsecundandum esse Peerlkampio, qui in Horat. Epod. 13, 14. (p. 384.) in verbis vulgaris scripturae:

Te manet Assaraci tellus, quam frigida *parvi*
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois

parvi mutavit in *puri*, ne Horatius reus esset erroris geographici. Est quidem apud Homerum Il. XXI. 15. Xanthus μέγας ποταμὸς βαθυδίνης aliisque ornatur Epithetis ab aliis poetis, neque tamen causa idonea fuit corrigendi verba poetae. Nam Horatius, quamquam Chironem facit loquentem, non ut Homerus de agro Troiano locutus est, neque priscam aetatem, sed suum tempus respexit, illud tempus quo Caesar *inscius in sicco serpentem pulvere rivum Transierat, qui Xanthus erat* (Lucan. IX. 967.). Hinc natum est Epitheton, quod ad agrum Troianum brevibus verbis describendum non inepte est delectum, immo cum accuratis recentiorum enarrationibus bene convenit [2]). Postremum mutatio Peerlkampii nullum praesi-

dium habet in loco Nicolai Damasceni (*περὶ τοῦ ἰδίου βίου* p. 418. ed. Vales., p. 8. ed. Orell.), in quo Iuliam, Agrippae uxorem, dum Scamandrum transit, fluctibus per nimios imbres auctis in summum vitae periculum adductam esse narrat. Etenim Horatius in illa Scamandri descriptione non singulas res, sed communem illius fluvii conditionem, ut poetarum mos est, expressit. Progrediamur ad locum Tibulli, qui multum exercuit viros doctos, in Eleg. I. 7, 13.

An te, Cydne, canam, *tacitis* qui leniter undis
Caeruleus placidis per vada serpis *aquis*.

In quo loco, si quid mutandum est, Huschkii sententiam amplector legentis: *caeruleae placidus per vada serpis aquae*, nam v. *caeruleus* de Cydno, qui a candido aquarum colore nomen cepisse traditur, a Tibullo non bene delectum esse videtur, licet plures locos, in quibus v. *caeruleus* de colore fluvii positum est, Vossius et Dissenius attulerint. Add. supra P. I. cap. 3. §. 4. Alias loci mutationes et interpretationes vide apud Dissenium. Nostro vero consilio hic locus Tibulli ea de causa inservit, quod ex eo apparet, poetam ob Epitheta illa cumulata *leniter*, *tacitis undis*, *placidas aquas* minime negligentiae accusandum esse, quum idem fluvius ab aliis scriptoribus diversis designatus sit vocabulis. Nam primum Dissenius scite observavit, illum ornatum Epithetorum oppositionis causa adiectum esse, quum huic fluvii amoenitati statim asperitas frigidi Tauri cum intonsis incolis opponatur. Deinde Bachius, qui ad naturam fluminis Cydni describendam Curtii verba

[2]) Vid. Antonii Prokeschii librum: *Denkwürdigkeiten und Erinnerungen aus dem Orient*, quem iam in Introduct. cap. 1. §. 2. laudavimus. Ille vir, qui agrum Troianum summa cum cura perlustravit multosque Chevalierii, Chandleri aliorumque errores detexit, in fluvio Scamandro describendo his utitur verbis (T. I. p. 154): „*der Simois, der durch die Hügel rauschend sich Bahn bricht, und sein Verwandter, der* s a n f t e *Skamandros, durchziehen in vielfachen Wendungen das so umfangene Feld, das, auf vier Stunden Tiefe, zwei Stunden Breite haben mag. An dem westlichen Abfall der Hügelgruppe schmiegt sich ein Wäldchen von Pappeln, Feigen und Tamarinthen; dort sind die Quellen des Skamandros. Ackerfeld, Schilf und Wiesenstrecken, durch die der Simois mit seiner stolzen Baumbegleitung* (hinc apud Stat. Theb. XII. 225. *piniger Simois) zieht und wo der Skamandros hier und da wie ein Lichtgedanke* (parva flumina) *aus dem Dunkel der Pappeln aufblickt, machen den Grund der Bühne von Troja aus.*"

III. 4. attulit, recte addidit Strabonis testimonium de Cydno (XIV. p. 673. C.) ψυχρὸν δὲ καὶ ταχὺ τὸ ῥεῦμά ἐστιν optime cum Tibulli verbis componi posse, si audiamus Solinum, qui in cap. 38. de eodem Cydno dixit: *tumet vere quum liquuntur nives, reliqua parte anni tenuis et quietus.* Ita Lucanus VI. 367. et Eustathius ad Il. XVI. 174. p. 1053. Sperchium, Thessaliae fluvium, celerem ac rapidum esse et strepere dicunt, atque in ea re haud dissentientem habent Pausaniam, qui X. 20, 4. Sperchium βίαιον καὶ στενὸν ῥεῦμα habere dicit. Cfr. G. L. Kriegk. de Maliensibus (Francofurt. a. MDCCCXXXIII.) p. 23. Sed idem fluvius a Stat. Achill. I. 239. *tenuis aquis* appellatur, quam ob rem illa priora Epitheta nonnisi ad eam fluminis naturam referenda sunt, qua pluviis hiemalibus adauctum celeriter ac magno cum strepitu decurrit. Quod iterum Statius Achill. II. 230. testatur, de eodem scribens: *memini, rapidissimus ibat Imbribus assiduis pastus nivibusque solutis Sperchius vulsasque trabes et saxa ferebat.* Similiter Phasis a Valerio Flacco V. 180. *spumans* et a Senec. Med. 211. *placidus* appellatur, immo ab Ovidio Metam. VII. 6. *rapidae limosi Phasidos undae* commemorantur, in quo poetam luxuriantem agnosces, denique ab Homero Il. XVII. 436. πλατὺς Ἑλλήσποντος, quo nomine mare ante fretum Hellesponti intelligitur, ratione habita oris angustioris, in quod tum mare Aegeum influit. Cfr. Iliad. VII. 86. ibiq. Heyn. et Burmann. ad Valer. Flacc. l. c. Idem Heynius locum Aeneid. III. 126.

sparsasque per aequor
Cycladas, et crebris legimus freta *concita* terris.

recte interpretatus est. Respiciuntur enim *interfusa Cycladas aequora*, ut Horatius loquitur Carm. I. 14, 20., vel angustissima maris inter insulas Cycladas spatia (cfr. Prokeschii libr. laudat. T. I. p. 53 — 55.), quae fluctus impediunt, quo minus sese late explicent, ita ut illi tanto altius surgant et mare navigantibus reddant difficile et importunum. Quapropter Valerius Flaccus II. 622., a Wagnero laudatus: *Parium infame fragosis vadis.* Itaque illud vocabulum, licet difficilius, sed ad naturam regionis accommodatius, praeferendum esse censeo v. *consita*, quam Weicherto in Epist. Crit. p. 65. praeeunte, olim in Disquis. Virgil. P. I. p. 8. probavi. Cogitaveram tum de eximia maris Aegei pulchritudine, cui, ut Broendstedtius in Itinerar. T. I. p. 9. scripsit, ex insulis huc illuc sparsis iucundissima et gratissima affunditur species.

§. 2.

Ad idem Epithetorum genus referendum esse censemus usum v. *immanis* in Aen. III. 701. 702.

Adparet Camarina procul campique Geloi
Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.

Dubitatur, quorsum spectet v. *immanis*. Nam aut ad tyrannos urbis Gelae, saevos fortasse et crudeles eorumque similes, qui in aliis Siciliae urbibus imperitabant, trahendum esse videtur, ita ut a dominorum moribus (quod saepius fit: vid. P. II. cap. 2. §. 2.) urbi ipsi Epitheton tribuatur, aut ad urbis Gelae situm ad amnem vorticosum et magnum retulerunt. Haec interpretatio iam Dorvillio in Sicul. p. 129. probata est, quem Heynius et Noehdenius Annotat. p. 204. secuti sunt, ille tamen in hoc dubius, quod agri Geloi naturam non tantae asperitatis fuisse sciamus, ut ab eadem poeta Epitheton suum derivare potuerit. Post Heynium Martiuus in Diurnis Scholast. Darmstad. a. 1826. P. I. scld. 43. emendavit: *immanisque Gela fluvio a cognomine dicta*, cuius medelae facilitatem Schmidius ad Horat. Epp. I. 6, 27. approbavit. Hinc nos in Disquis. Virgil. l. c. voc. *immanis* ad urbis Gelae potentiam et opes, quibus olim floruit, ambitusque magnitudinem insignem transfulimus, Doederlinio in Synonym. Lat. T. I. p. 45. teste advocato. Wagnero fuit duplex de nostro loco sententia. Nam in annotatione subiecta omnem difficultatem tolli scribit, si v. *immanis* Genitivum et Epitheton v. *fluvii* esse statuerimus. Cfr. Aen. VII. 670. 671. Sed in observationibus ad Aen. IX. 151. insolitae formae genitivi (*fluvii*) causa mentem mutavit et aut *a fluvio* scribendum esse, quod suadet Martinus, aut, quod ipse maxime probat, rescindendum esse versum illepidum. Haec tamen virum doctissimum paullo iniquius pronuntiasse censeo. Plana enim atque facilis loci sententia est, si in Martini coniectura acquiescimus, eam tamen ita accipientes, ut v. *immanis* non ad ambitum urbis, sed ad adspectum, quem ille ager Gelous adnavigantibus praebere solebat, referatur. Ac primum quidem notum est, faciem litoris Siculi pluribus in locis non modo rupibus et scopulis horridam esse, sed aliis quoque soli varietatibus abundare, quae e massa torrentis sulphurei durata originem habentes huc illuc surgunt atque in arduos clivos mirae figurae attolluntur. Accedit, quod plurimae Siciliae urbes ad litus maris conditae in locis editioribus sunt exstructae, unde ipsae speciosiorem formam accipere visae sunt [3]). Postremum locus Ovidii Fastor. IV. 170. *Praeterit* (Ceres) — *Et te, vorticibus non adeunde Gela* (quem Wagnero debemus) indicat regionem circa urbem nonnullis soli varietatibus insi-

[3]) Vide, quem supra excitavimus, Kephaliden in Itiner. Italic. et Sicul. T. I. p. 265 seq. et T. II. p. 11 et p. 70.

gnem fuisse, quas fluvios vel rivos per loca abrupta et praecelsa in mare exeuntes effecisse putamus. Eiusmodi igitur regionem continuationibus montium ex interiore insula prominentibus in varias partes diffissam atque divisam, deinde mirandis figuris, e lava illa formatis, et aquis magno cum impetu per rupes, quasi per cataractam, in mare prosilientibus Virgilius suo iure *immanem* appellare potuit. Adiuncta enim est huic vocabulo fere semper notio magnitudinis extraordinariae et per molem suam homines horrore percellentis, non admiratione afficientis, ut docent loci ab Heindorfio ad Cic. de Nat. Deor. II. 59, 146. et a Doederlinio l. c. T. III. p. 229. collecti. Cfr. eundem in Commentat. de "Αλφα intens. serm. graec. p. 10. Similiter Aen. I. 139. *immania saxa* Aeoli a Neptuno commemorantur non tam ob magnitudinem quam ob horrendam naturam, immo Dido ipsa in eiusdem libri v. 616. Aeneam alloquta: *quae vis immanibus applicat oris* hoc vocabulum de suo regno intelligit. Non male Pomponius Sabinus hoc Epitheton propter aspera et inhospita Libyae litora positum esse annotavit, quae vel Dido ipsa, patriae suae amoenitatum memor, non sine horrore quodam *immania* appellat. In eandem de loco libri tertii sententiam Münscherus, quod postea vidi, in Observat. in Virgil. Aeneid., Hanoviae a. 1829. editis, p. 16. incidit.

Porro quod ad grammaticam huius loci rationem attinet, Martinus suam coniecturam tuitus est loco Aen. VI. 383. *gaudet cognomine terra.* Eandem coniecturam si sequimur, forma genitivi *fluvii*, quam doctissimi grammatici ab usu aetatis Augusteae alienam esse edixerunt (vid. Bentlei. ad Ter. Andr. II. 1, 20., Huschk. ad Tibull. IV. 10, 4., Heinrich. ad Cic. de rep. I. p. 11., Iahn. ad Ovid. Metam. XV. 728., Wolf. et Kirchner. ad Horat. Satir. I. 1, 105., Weichert. de verss. Virgil. et Valer. Flacc. iniur. susp. p. 60., Forbiger. ad Lucret. V. 1004., Obbar. ad Horat. Epp. I. 1, 67. et Schmid. ad I. 6, 27., Wagner. ad Aen. IX. 151.) vitatur et versus ad optimam aetatis Virgilianae normam emendatus est. Postremum iam Wagnerus de metricis v. *Gela* rationibus observavit, Virgilium hic graecam consuetudinem esse secutum latinorumque poetarum, ut Silii Italici XIV. 218., alium esse morem. Nimirum poetae latini in nominibus propriis iisdemque peregrinis metrum saepe variaverunt, ut Virgilius I. 343. in nomine *Sychaeus*, V. 567. et V. 293. in v. *Sicania*, Ovidius in v. *Psophis* Metam. V. 607., in v. *Orion* VIII. 207., in v. *Macedonius* XII. 466., cfr. Iahn. ad VI. 11. Alia exempla vid. apud Gronov. in Burmann. Syllog. Epistol. T. II. p. 541., Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 778., Obba-

rium ad Horat. Epp. I. 10, 26., quibus add. Iahn. ad Horat. Carm. III. 4, 9. et ad Virg. Aen. XII. 401., Wagner. ad Eclog. IX. 65. atque Weichert. in dissert. supra laud. p. 62. et in Reliq. Poet. Latin. p. 424. sq.

Revocat v. *immanis* nos ad locum Valerii Flacci lib. II. v. 615. 616., in quo de Iasone per Hellespontum vehente

medias — intervolat urbes,
Qua brevibus furit aestus aquis; Asiamque prementem
Effugit abruptis Europa *immanior* oris.

Quae verba Burmannus de iucundiore Asiae adspectu et de abruptioribus Europae promontoriis explicat. Non male. Etenim mens Valerii haec est: Asia et Europa olim unam effecerunt terram. Asia vero, quae nunc dicitur, pars erat altior atque alteram partem, Europam, premebat. Deinde Europa sive terrae motu sive alia causa naturali accedente (cfr. Aen. III, 417. et Weichert. ad Valer. Flacc. I. 590. in Beckii Act. Semin. Reg. II. 2. p. 355.) tanta vi abrupta est (*effugit*), ut adspectus orae per illum discessum in duas partes divulsae immanior fieret. Sunt hodie quoque litora Asiae planiora et amoeniora quam illa Europae [4]). Singula si videamus, *premens Asia* de Asiae locis editioribus dicitur, quae in Europam planiorem quasi imminent, ut idem vocabulum sine adiuncta molestiae notione saepius in descriptione regionum positum est. Vid. Aen. I. 246. *It* (Timarus) *mare proruptum et pelago premit arva sonantia.* Lucan. Pharsal. III. 253. *Aethiopumque solum, quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli* i. e. includeretur, tegeretur. Senec. Oed. Tyr. 39. *Sed igne friget aestiferi canis Titan, leonis terga Nemeaei premens.* Thyest. 628. *Maris gemini premens Fauces Corinthus.* Cfr. Bach. ad Ovid. Metam. I. 48. et Heyn. et Wunderlich. ad Aen. IV. 81. Deinde paullo insolentius a poeta dictum est: *effugit Europa Asiam.* Voluit quidem Valerius nimiam cele-

---

[4]) Audiamus Prokeschium in l. c. T. I. p. 326: „*Wie niedergedrückt, wie traurig diese Stelle Europa's erscheint* (scriptor loquitur de regione circa arcem Sesti) — *so reich die gegenüberliegende Asiens. Weite Fluren laden da zum Anbau oder zur Weide zahlreicher Heerden ein. Hohes Waldgebirge, aus dem breite Thäler sich münden, bildet den südlichen Hintergrund der Landschaft.*“ Et statim post p. 328: „*ich hatte Zeit zu betrachten, was Europa und Asien mir auslegten. Die Küste der europäischen Halbinsel war arm und kahl; einförmiges Dunkel war über sie gebreitet. Wie anders die von Asien, wo die Farben sich einander zu überbieten schienen.*“

ritatem ac motum terrae inopinum hoc vocabulo indicare, quo cursum incitatissimum atque magno cum impetu factum et in hominibus et in rebus naturalibus saepius designat. Vid. I. 749.

Quin rapis hanc animam et famulos citus effugis artus

in quo loco (sunt verba Crethei ad filium Aesonem) *famulos artus* Maserius et I. A. Wagnerus non recte intellexerunt, quasi *animae* apud mentem esset addendum eique ut rei divinae artus famulari deberent, non corpori. Sed ipsius Aesonis corpus indicatur, a quo animus morte voluntaria se solvere debuit, ne Peliam dominum gravem et imperiosum subiret. Itaque per prolepsin haec verba poeta elocutus est I. e. ne famuli fierent artus, ut apud Virgilium Aen. VII. 497. *nec dextrae erranti* (i. e. quo minus erraret) *Deus afuit*. Cfr. supra P. II. cap. 4. §. 2. Locutionem *artus famuli* illustravit Heinsius ad Ovid. Fast. I. 286., in qua si quis Valerium ad antiquissimam illam doctrinam et a Platone inprimis exornatam (vid. Stallbaum. ad Plat. Phaed. p. 39. p. 107. et Beier. ad Cic. Oratt. Inedit. p. 148. sq.), hominibus e carcere corporum, tanquam e vinculis esse evolandum, respexisse dixerit, ego non magnopere repugno. Nam non raro in poetis latinis aetatis serioris talia inveniuntur. Sed ad v. *effugere* explicationem in significatione modo declarata facit alter Valerii locus IV. 661.

Sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror
Effugit et tenebras nimbosque intermicat ignis,

qui hoc vocabulo subitum et cito praetereuntem horrorem optime expressit. Ita poetae simplicia verba *fuga* et *fugere* saepe de itinere rapido seu cursu incitato, etiam nullo urguente vel insequente, posuerunt: vid. Serv. ad Georg. I. 286., Burmann. ad Valer. Flacc. III. 584. ibique laudatos, quibus add. Weichert. ad VIII. 281. et Bach. ad Ovid. Metam. V. 573. Ad solum, quod vel nobis insciis subtrahitur, Statius idem vocabulum in Theb. IX. 473. transtulit: *Stant terra fugiente gradus* (Hippomedontis) *et poplite tenso Lubrica saxa tenet.* De eiusmodi vocabulis, ut *discedere*, *recedere*, *attolli*, *crescere*, *mergi* al., egregia est Heynii observatio ad Aen. III. 411.: „poeticae orationis genius omnia ad oculorum sensus revocat."

§. 3.

Alterum Epithetorum Geographicorum genus Adiectiva a terris, regionibus seu nominibus propriis derivata complectitur, priore longe efficacius et, ut res ipsa fert, uberius. Arcte

enim hoc cohaeret cum commemoratione veteris laudis et gloriae a maioribus repetitae, quas res carminibus suis esse insigni ornamento omnes statuerunt antiquitatis poetae. Accedebat deinde doctrinae studium, e quo interdum mala eruditionis ostentatio nata est, qualis a nostris moribus quam maxime abhorret. In talium igitur locorum recensione primum videndum est, utrum poetae ipsi in suis carminibus loquantur, an aliis tribuant orationem, quorum ob mores diversos, patriam remotam et conditionem abhorrentem praecipua ratio habenda erat. Ita Wagnerus ad Aeneidos locum in libr. V. v. 310, in quo Aeneas victori *Amazoniam pharetram* et *Threicias sagittas* dono dat, recte annotavit, haec Epitheta non esse mere ornantia, sed probe distinguendam esse poetae orationem ab ea, quae aliis impertitur. Neque dubium est, id Virgilium voluisse, ut illa praedicatione adiecta maius tribuatur pretium muneri Aeneae. Cfr. v. 306. *Gnosia bina dabo levato lucida ferro spicula.* Similiter Statius in Achill. II. 417 — 421. uberius, quam par erat, in Achille suo exornando locutus Epitheta e remotissimis locis petiit, quorum notitia neque ad Chironem ipsum neque ad illius alumnum pervenire potuerat. Nam haec sunt verba Achillis Statiani:

didici, quo Paeones arma volatu,
Quo Macetae sua gaesa citent, quo turbine contum
Sauromates falcemque Getes arcumque Gelonus
Tenderet et flexae Balearicus actor habenae
Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu.

Quae nomina Achilli ignota et ad fortitudinis atque roboris famam augendam unice adhibita si quis iusto cupidius a poeta coacervata esse dicat, Statius aliquam excusationem a Virgilio ipso, dictionis suae parente et auctore, repetet, cuius pastores in Eclogis ita loquuntur, quasi magnam orbis terrarum partem perlustrassent et in Epithetis deligendis atque e remotis regionibus depromendis se aeque in illis locis versatos ostendant atque in ipsorum patria, quae est Italia vel Sicilia. De talibus Spohnius in Prolegom. in Carm. Bucol. p. 22. ed. Wagner. ita iudicat: Virgilius, si ad rei veritatem omnia expressisset, a saeculi sui moribus, ab elegantia illorum temporum ita recessisset, ut non delectasset, sed offendisset. Videamus igitur singulos locos. Eclog. V. 27.

Daphni, tuum *Poenos* etiam ingemuisse leones
Interitum montesque feri silvaeque loquuntur,
Daphnis et *Armenias* curru subiungere tigres
Instituit.;

Sed res in Sicilia agitur, non in Africa vel in Armenia, itaque nimiae doctrinae erat neque accommodatae ad pastorum ingenia *Poenos* leones et *Armenias* tigres commemorare. Praeivit quidem Theocritus Idyll. II. 72. *Τῆνον χὤκ δρυμοῖο λέων ἀνέκλαυσε θανόντα*, quibus vero verbis Virgilius minus circumspecte et solius, ni fallor, ornatus causa *Poenos leones* adiecit, carminis epici fortasse gravitate commotus, in quo talis ornatus non reprehendendus, immo interdum laudandus est. Vid. Wagner. ad h. l. Ex eodem genere sunt, quae Eclog. IX. 11 — 13. leguntur:

carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas

In sermone pastoris Itali paullo doctior est columbarum mentio Chaoniarum, ad quam tamen poetam eruditum et lectione veterum scriptorum innutritum aves illae in antiquitate celebratissimae (vid. Herodot. II. 57. et Aelian. Hist. Animal. XI. 27. ibiq. Iacobs. p. 393.) facile ducere potuerunt. Neque aliter iudicandum est de loco I. 62 — 65.

Ante, pererratis amborum finibus exsul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus,

vel de iis, quae statim post v. 65 — 67. commemorantur, Afris, Scythia et Oaxe, Cretae flumine, in cuius nomine a Virgilio erratum esse non male Wagnerus in Disquis. Virgil. XXXX. 3. p. 595. suspicatus est, vel de Tmaro, Rhodope et de Garamantibus in Eclog. VIII. 44. a Damone pastore laudatis. Quod porro ad locum Ecl. I. 65 — 67. attinet, Wagnerus Heynio non omnino assentitur, totum locum a carmine pastoritio alienum esse, sed contra docet, studiose cavendum esse, ne poetae iniuriam faciamus. Nam omnia proprie accipienda esse opinatur et ab Augusto provisum fuisse veteribus istorum agrorum possessoribus, quos milites expulerant, aliquod perfugium, quo aveherentur, Africam scilicet aliasque remotas regiones, inter quas vel Britanniam, licet post Iulii Caesaris tempora a Romanis neglecta et relicta fuerit, illis ut terram colendam oblatam fuisse demonstrare conatur. Add. X. 59.

libet Partho torquere *Cydonia* cornu
Spicula

quae verba iterum sunt aliena a sermone pastoris, rectius vero Virgilius in descriptione Chlorei Troiani (Aen. XI. 773.) posuit: *Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu* vel aliis in locis, de quibus §. 4. dicetur, Epitheta sua e regionibus ob fe-

racitatem alicuius rei celeberrimis derivavit. Idem tamen ob similem permutationem nominum et regionum in Eclog. VIII. 30. iniuria vituperatur. Nam verba

tibi deserit Hesperus Oetam

nullam habent difficultatem, si totam rem in Graecia agi nobis repraesentemus, quod tum illorum pastorum nomina, tum usus tibiae (v. 21.), tum ritus magici, quibus Thessalia abundabat (vid. Weichert. Epist. Crit. p. 29.) suadent et I. H. Vossius atque Wagnerus iam dudum recte perspexerunt. Cfr. Gronov. ad Senec. Hercul. fur. 133. Qua occasione data, alium tueamur Virgilii versum, in quo Epitheton a terra quadam petitum nonnullos interpretes et Kästnerum in Ephemerid. Scholast. Darmstad. a. 1832. Part. II. scid. 70. male habuit. Est hic locus in Eclog. II. 21.

Mille meae *Siculis* errant in montibus agnae,

quas agnas *Siculas* in hoc carminis nexu concoquere noluerunt virorum doctorum ingenia. Sed recte Wagnerus ad h. l.: „quid enim Virgilium ut poetam impediebat, quo minus locum, ubi haec agerentur, Siciliam esse vellet pastorum carminibus celebratam? Quid, quod ipsa graeca nomina, Corydon et Alexis, non patiuntur, aliud his rebus esse theatrum, nisi regionem, in qua graecus sermo regnaret?" Id quoque ad Virgilii excusationem, — si quidem tali egeat — afferri potest, iam in vv. *mille agnae* (vid. Wagner. ad Eleg. ad Messal. p. 83.) non accuratam alicuius regionis inesse descriptionem, sed id tantum numero rotundo indicari, permagnos fuisse greges iisque quasi novo testimonio declarari divitias Corydonis. Quae si quis non probet atque, ut Spohnius vult, hoc carmen in hominem Italum, Alexandrum, servum Pollionis, scriptum esse censeat eaque de causa commemorationem gregum Siculorum moleste ferat, is illius poetarum moris memor sit, secundum quem Epici vel loca remotissima ad maiorem rei speciem iungere solebant. Ita apud Statium Theb. XII. 155. Ornytus Argivus ad mulieres suae terrae, quo minus Creontem adeant, deterrendas hunc tyrannum nullo pacto mortuis sepulturae honorem concessurum esse affirmat, addens: *immites citius Busiridos aras Odrysiique famem stabuli Siculosque licebit Exorare Deos.* Nam illorum tyrannorum crudelitas fere in proverbium abierat. Cfr. infra §. 6. Sed Bucolicum poetam minus decent talia sermonis lenocinia, unde melius in Wagneri sententia acquiescimus. Nec comparari potest cum illis Virgilii locis inepta Substantivorum coacervatio in Cir. v. 439.: *Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.* Scilicet Scylla ipsa de

se loquitur et affectate modo lectulum eburneum, in quo ipsa recubare cupit, *Libycum* lectulum dicere potuit. Ergo eboris praestantia alio cognomine declaranda fuit. Eadem ratione Virgilius in Georg. III. 12. (vid. infra §. 6.) et Statius in Theb. VI. 84. peccavit, de quo loco in cap. 2. §. 3. dicitur.

Sed in universum de illis Eclogarum locis Spohnii observatio ad locum V. 27. p. 31. repetenda est, non singula quaevis ad amussim esse exigenda. Cuius vero sequentia verba: „ut in quavis imagine quaedam adduntur ad exornandum non necessaria, sed tamen utilia, ut delectent, ita in hac imagine totum eius, qui eam exhibet, consilium spectare debemus,“ nos non omnino probare possumus. Nam bonum poetam similiter ut bonum pictorem decet, singula et minima ita disponere, ut cum totius rei indole optime conspirent nec ab ea sine maximo rei ipsius detrimento seiungi possint. Itaque multo libentius in superiore Spohnii observatione acquiescimus, aequales Virgilii pro illius temporis ratione sentiendi et dicendi, talem morum simplicitatem, qualis in carmine pastoritio desideratur, paullo molestius tulisse et hac de causa Virgilium coactum fuisse, ut huic nimis delicato Romanorum iudicio vel invitus indulgeret. Cfr. Heynii Disquisit. I. de Carmine Epic. p. 23. 24. Non dissimile est, quod in Francogallia Ludovico XIV. regnante accidit. Etenim actores fabularum, in quibus res romanae et graecae tractabantur, sui saeculi more induti et exornati incedere solebant neque regis, cuius nutui vel haec quam maxime parebant, neque spectatorum assensum et plausum tulissent, si graeco aut romano more vestiti in scenam processissent. Porro praestantes illius aetatis picturae exstant, allegorici inprimis argumenti, in quibus est mira veteris mythologiae et aulicae adulationis confusio. Inserviebant igitur boni artifices et excellentes scriptores consuetudini aetatis suae atque usui, quem habebant tyrannum, ut est in proverbio, aliquid dandum esse putabant. Talia lenocinia ac blandimenta etsi ab iis, qui sensu pulchri venustique incorrupto sunt praediti, probari non possint aut ad imitationem proponi, habent tamen in ipsis saeculi rationibus quo se tueantur et ab acerba censorum vituperatione suum ius sibi vindicent.

§. 4.

Sed multo solutiores, quam in priori genere observavimus, erant poetae campumque liberiorem erant nacti ipsi loquentes, et ex sua persona, non ex alia, carmina exornantes, non agentium partes habentes, sed ipsi narrantes et describentes. Ac duo inprimis erant, quae poetis hanc dicendi formam commendarent, unum, calor et impetus, quo bonus poeta effertur, alte-

rum, Homeri veterumque Epicorum imitatio. De quibus separatim dicendum est. Ac primum vis imaginandi poetarum hoc proprium habere videtur, ut se non facile universarum notionum angustiis adstringat, sed liberius per partes rerum singulas evagetur. Hinc quoque factum est, ut in Epithetis eligendis ea, quae in commune magna, pulchra, fortia, grandia, lata, idonea dici solent, in dictione poetica certis vocabulis et propriis significationibus appellarentur. Quae consuetudo in Epithetis Geographicis insigne adepta est adiumentum. Nam id maximam vim habet, ut quae vulgari sermone universe dicuntur, gentes magnae, regiones amoenae, arma praestantia, montes ardui cet., apud poetas Epitheta sua accipiant e locis, ubi orta aut inventa res est aut ubi illius frequentior ac nobilior usus, aut proventus largior ac praestantior, aut denique ubi sanctius colitur. Non mediocris igitur suavitatis sunt *Milesia lana*, *lens Pelusiaca*, *pices Idaeae*, *arcus Ituraei*, *Lycia pharetra*, *Gortynia spicula*, *Gnosia spicula*, *Dictaea arundo*, *Chalybeia massa*, *Thraces venti*, *Thraces equi*, *Pharius annus*, *Scythicus arcus*, *Calena falx*, *Sabelli ligones*, *vinum Falernum*, *tura Sabaea*, *mella Hymettia*, *marmor Phrygium*, *rosae Paestanae*, *unguenta Persica*, *canis Amyclaeus* et alia huius generis. Quis enim non sentiet in Virgilii Georgic. IV. 425. *Indos sitientes*, quod hos potissimum Solis radii torrent, aptius commemorari quam in universum populos, qui plagas meridionales habitant, vel ad delphinorum velocitatem designandam meliora esse eiusdem poetae verba, *nando Carpathium Libycum secant* (Aen. V. 595.), quam si eos ex uno mari in alterum migrantes descripsisset vel denique *Etruscam* unius Mezentii *pinum* (Aen. IX. 521.) nominari, sub qua tamen omnes Etrusci, qui cum facibus ad Troianorum castra accedebant, intelliguntur. Add. Lucan. VI. 285 — 287. *Qui Caesaris arma Segnius haud vidit quam malo nauta tremente Omnia Circaeae subducit vela procellae.* Locum certum pro incerta alicuius procellae significatione poeta haud inepte praetulit, ut Statius Silv. I. 3, 8. *frangunt sic improba solem Frigora, Pisaeumque domum non aestuat annum.* Domum intellexit arboribus obumbratam et fontibus refrigeratam non *aestuare annum Pisaeum*, id est, illum calorem, qui solet esse Pisis, quum ibi ludi celebrantur, ergo ferventissimum. Vid. Hand. ad h. l. p. 359. Talia de suo quisque sensu iudicet. Contra sunt loci, qui subtiliorem doctrinam ostendere videntur et in crimen incurrunt, quasi poetae a legibus verae simplicitatis ad affectatae eruditionis studium deflexerint. Videamus Virgil. Aen. XII. 67.

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur.

Reprehendit A. G. Schlegelius in Biblioth. Indic. T. I. p. 144. poetam, quasi Epitheton *Indum* in comparatione ex Homer. Iliad. IV. 141. deductum (cfr. Iacobs. ad Philostrat. Imag. II. 7. p. 442.) male collocasset, quum in his morem aequalium suorum deserere deberet, qui Indiam, Aethiopiam, Mauretaniam terras omnium rerum pretiosarum procreatrices statuere soliti fuissent. At Maro, ut e praegressis apparebit, eboris praestantiam nullo vocabulo magis perspicue suis lectoribus describere potuit, quam commemoratione Indiae, terrae illius fabulosae atque ditissimae, neque inferior eius imitatio est imitatione Claudiani, qui de Proserpina erubescente XXXIII. 272. scripsit: *Non sic decus ardet eburnum, Lydia Sidonio quod femina tinxerit ostro.* Add. Cir. 178. *Non Libyco molles plauduntur pectine telae*, quod Taubmannus non male de pectine eburneo (nam Libya eboris erat ferax) intellexit. Tum in eiusdem carminis v. 308.

Nunquam ego te summo volitantem in vertice montis
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conspiciam.

Hyrcani sunt canes venatici nobilissimi, quos poeta sic appellavit, morem superiorum poetarum secutus, Adiectivo a re praestantissima desumto, pro quo Homerus Epitheton e natura canum vel e velocitate eorum (ἀργὸς, ἀργιόδους) elegisset. Grammaticam difficultatem Heynius eleganti coniectura *canes* pro *comites* tollere studuit, Silligius vero locum expediit, *Hyrcanos* simpliciter intelligens de canibus Hyrcanis, ut alia canum genera nude ex origine patria appellantur velut apud Lucanum IV. 440. (quem ipse laudavit): *venator tenet ora levis clamosa Molossi*, ubi interpretes Senec. Hippolyt. 32. et Virg. Georg. III. 405. contulerunt. Add. Senec. Thyest. 497. *Et longo sagax Loro tenetur Umber.* Valer. Flacc. VI. 420. *Quam cervos ubi non Umbro venator edaci Non penna petit* ibiq. Burmannum. Cfr. Wagner. ad Aen. XII. 751. Deinde Silligius haec verba ita explicat: inter Hyrcanos canes ipsi comites i. e. ipsum comitantes, ut v. *comites* sit appositio, non Substantivum. Pergamus ad Silium Italicum, qui habet in libr. X. vs. 77.

Ut canis occultos agitat quum *Belgicus* apros

cui Paullus, Hannibalem vestigans, comparatur. Sed interpretes de mutatione v. *Belgicus* in *Bellicus* vel *Belicus* cogitarunt, inter quos Ulitius ad Gratii Cyneget. v. 202. et in Prolegom. p. 81. monet ἀκυρολόγον esse, quod Silius canem Belgicum in apros im-

miserit. Contra Dansqueius recte vidit canes Belgicos eosdem esse qui alibi Gallici (ut apud Ovid. Metam. I. 533. et Martial. III. 47) nominantur, ad venatum aptissimi. Accedit, quod in pugnae gravis et cruentae descriptione poeta ad summi viri fortitudinem declarandam nullo pacto tenui vel humili comparatione aut verbis e trivio petitis uti potuit, sed et in singulis vocabulis atque Epithetis cum delectu positis rei magnitudinem respicere debebat. Similem excusationem habebit Lucanus Pharsal. VI. 220. sq.

> *Pannonis* haud aliter post ictum saevior ursa
> Quum iaculum parva *Libys* amentavit habena,
> Se rotat in vulnus.

Nam in hoc quoque loco pugna cruenta describitur et excellens Scaevae tribuni facinus enarratur, ad quod pro merito suo declarandum Lucanus non universe locutus est, sed fortissima bestia commemorata lectores in uno unius hominis facto diutius consistere voluit. Similibus rationibus ductus cum illa ursa *Libyn* venatorem coniunxit, nam Libyes inter veteres artis venaticae peritia maxime inclaruerunt (vid. Lucan. I. 208. IV. 602. 684.), pro quo facile aliud Epitheton ponere potuisset. Sed recte notiones condensatas et ad unam eandemque certam rem relatas indefinitae orationi praetulit Lucanus. Itaque geographicae difficultates, quas Lipsius, Oudendorpius aliique finxerunt, hic et in aliis huius generis locis nullae sunt. Neque cervis a Virgilio in Africa positis (Aen. I. 184. et IV. 284.), vel ursa Libystide (V. 37. et VIII. 368.) vel Thraciis, Hyrcanis, Caspiis et Scythicis tigribus (Georg. IV. 510. Aen. IV. 367. Senec. Herc. Oet. 145. Stat. Theb. X. 821.) vel leonibus Poenis per Siciliam vagantibus (Ecl. V. 27.) vel agris Numidarum in oratione Hypermnestrae (Horat. Carm. III. 11, 47.) offendimur. Prudens talium rerum existimator fuit Heynius, qui saepius tales quaestiones ad solam historiam naturalem spectare edixit et graviter monuit, ne nimis anxii et arguti simus in bonorum poetarum interpretatione. Neque ullus elegantiorum hominum aut recentiorum criticorum, quantum scio, Shakspeario talia vitio vertit [5]). Quamquam huic maximo poetae nullo pacto Silium Italicum vel Valerium Flaccum vel Papinium Statium componamus, spirat tamen in his quoque ardor poeticus et acerrimum veteres et probatos poetas imitandi studium.

---

[5]) Vid. librum Fr. Hornii: *Erklärende Anmerkungen zu Shakespeare* Vol. II. p. 118 seq. De Plauti licentia quaedam ab Osanno in Museo Philol. Rhenan. Vol. II. P. 2. p. 306 annotata sunt.

§. 5.

Hanc igitur aliorum et inprimis Homeri imitationem iam supra fontem alterum Epithetorum geographicorum fecimus. Minime negamus, Homeri latinorumque poetarum conditionem diversam fuisse. Nam quum hic suam copiam varietatemque narrandi, e natura haustam, suis hominibus temporibusque accommodasset, eam latini poetae saepenumero ita adhibebant, ut suam imitandi sollertiam ostenderent artemque simul vel doctrinam exercerent. Utitur quidem Homerus Epithetis grandibus, bene sonantibus et pro linguae graecae natura suaviter compositis. In locum talium, quibus latina lingua non abundat, successerunt in rebus describendis Epitheta a certis locis, regionibus, urbibus petita, quibus poetae animos lectorum ad antiquitatem ita revocare voluerunt, ut in his contemplandis ipsi fierent antiquiores. Qui in rebus tantopere mutatis et in forma imperii Romani a Graecia heroici temporis maxime diversa poetis eam licentiam negant, ut pro suae aetatis consilio rationem Homericam variare, mutare, refingere conarentur, iniquiores iudices mihi exstitisse videntur. Neque nos hodie omnia antiqua probamus neque tam religiosa est vetustatis reverentia, ut nihil ex illa immutare aut nostris rationibus accommodare audeamus. Ita, ut unum exemplum addam, Klopstockio atque Vossio magnus suus et debitus constat honor, neque tamen omnes laudantur, qui ad illorum normam carmina heroica aut Idyllia composuerunt. Iam nonnullos locos videamus. In Georg. III. 115. legitur: *Frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere Impositi dorso.* Haec verba iam veteribus aliquam vituperationis ansam praebuisse videntur, propterea quod Epitheton *Pelethronius* minus Lapithis conveniat quam Centauris. Servius idem ab urbe Pelethronium derivatum annotavit. Sed recte Philargyrius h. v. per v. *Thessali* interpretatur, haec addens: Pelethronium est antrum, ubi Achillem Chiron erudivit.“ Itaque Virgilius ad Lapithas Thessaliae Epitheton Chironis, in Pelio Thessaliae monte habitantis, sensu latiori transtulit. Vid. Osann. in Mus. Rhenan. Philol. T. I. Part. 3. p. 411 — 416. et Welcker. p. 440. Tum Heynius ad Aen. VI. 397. recte vidit Epitheton *Amphrysia*, quod Sibyllae apponitur, non longius esse petitum idque pluribus exemplis firmavit. Simplicior in talibus est Homerus, qui, ut exemplum dicam, Circen vocat aut *πότνιαν* aut *δεινήν*. Pergamus ad Aen. VII. 785. in quo loco *Chimaera* in galea Turni commemoratur *Aetnaeos ignes efflans:* at Homerus magis in universum *ἀκάματον πῦρ* dixisset: cfr. Iliad. V. 4., qua de re Wakefieldus primum ad Eurip. Ion. p. 27, *aeternos ignes* et deinde ad Lucret.

VI. 639. *Aetnaeis faucibus* p. *Aetnaeos efflantem faucibus ignes* coniecit. Sed nullus, ut puto, talia probabit. Nam licet non unius terrae sint Chimaera et Aetna, attamen Virgilius Chimaeram suam, monstrum remotissimae antiquitatis, cum Epitheto *Aetnaeos*, quod idem summam antiquitatem et maximos ignes indicat, coniungere potuit. Cfr. Stat. Theb. VII. 327. in quo loco Asopus in coelum *Aetnaeos vapores* efflare narratur, quod ad parvum fluminis ambitum non satis accommodate dictum esse indico, id tamen demonstrat, quam cupide in hac quoque re poeta antiquitatem immiscere studuerit. Add. Broukhus. ad Propert. III. 11, 6. Longe alia ratione Aen. VIII. 394. *aeternus* dicitur *amor* aut apud Manil. IV. 781. *aeternae lacrimae* e coniectura Barthii, nisi hunc versiculum auctore Gronovio in diatrib. Stat. p. 291. T. I. ed. Hand. pro emblemate insulsi magistri accipere velimus. Imitatur Virgilii locum Silius Italicus Punic. V. 135. et 148., in quibus Flaminii galeam Scyllae imagine ornatam et equum pelle *tigridis Caucasiae* contectum fuisse narrat. Similiter idem in descriptione Libyssae (II. 80.), quae Amazonis faciem et figuram retulit, eandem *Thermodontiaca pelta* praeditam descripsit, ut in hoc quoque loco Epitheton antiquitatis notionem lectoribus suis revocaret. Et Lucanus in Pharsal. I. 371. ubi de magnis per Caesaris milites rebus gestis loquitur: *haec manus — Oceani tumidas remo compescuit undas* addens: *Fregit et Arctoo spumantum vertice Rhenum* verticem dixit *Arctoum*, ut vel hoc Epitheto ex antiquissima geographia desumto militum facta augeret mentemque eorum laudaret. Neque reprehendendus est Virgilius, qui in Aen. XII. 846. *Megaeram* appellavit *Tartaream*, quod vocabulum Heinrichio displicuit, Wagnerus tamen e fontibus dudum occlusis a poeta repetitum esse recte docuit, nisi quis hoc Epitheton ex ipso Megaerae domicilio desumptum esse dicat. Nam in Tartaro habitabat ut Nox quae ea de causa *Tartarea* apud Valer. Flacc. III. 212. dicitur. Cfr. Hesiod. Theogon. 744. Eurip. Orest. 176. Pors.

§. 6.

Deflexerunt tamen (nam id quoque dicendum est) in hoc imitationis genere poetae latini interdum a recta via et prava aemulatione ducti aut nimiae eruditionis studio commoti in vitia inciderunt, a quibus se ne Virgilii quidem exemplo satis tueri possunt. Nam et hic quoque poeta interdum dormitavit. Quidni talia vitia in ceteris poetis, qui in illius imitatione unice erant defixi, paullo mitius iudicemus? Ita Virgilius in Georgic. III. 12.

Primus *Idumaeas* referam tibi, Mantua, *palmas*

non satis prudenter Adiectivo usus est. Epitheton enim mere ornat neque ad magnam gloriam, quam Maro primus inter Mantuanos assecutus erat, augendam aliquid conferre potest, tum molesti aliquid habet, quod v. *palma*, cuius in h. l. non est propria significatio, Epitheton ab aliqua terra accepit. Vid. Wagn. Quaest. Virgil. XXXX. 1. p. 590. Rectius a praestantia palmarum commendatur urbs Selinus in Aen. III. 705. quae urbs cognomen *palmosa*, quod propter Reinganum in libro de Selinunte p. 71. addo, non ab arboribus parvis et minime proceris (apio petroselino apud Linnaeum) accepit, sed ab palmis grandioribus et altioribus, quae a veteribus caryotae vocatae sunt. Vid. Salmasii Exercitatt. Plin. p. 928, 6. A talibus, quarum et hodie magnus est numerus in agro Lilybaeo et Selinunte, Epitheton ornans Virgilius depromere potuit. Cfr. Goettling. in libro menstruo: Hermes Vol. XXXIII. P. 2. p. 237. Idem declarat Silius Italicus XIV. 199. 200. *Tum, quae nectareis vocat ad certamen Hymetton, Audax Hybla favis palmaeque arbusta Selinus.* Haec verba nullo modo sunt mutanda, immo cum Cellario sic iungenda: Selinus ad certamen vocat palmarum arbusta ut Hybla Hymetti mella. *Arbusta palmae* iam Gronovius e Lucan. III. 216. illustravit: *arbusto palmarum dives Idume*, cuius poetae locus VII. 834. Genitivum *palmae* (pro: *palmarum*) tuetur: *nunquam tanto se coelum vulture Induit.* Ad Virgilium redeamus. Non recte e meo iudicio in Aeneid. XI. 580. de Camilla dixit:

> Et fundam tereti circum caput egit habena,
> *Strymoniamque* gruem aut album deiecit olorem

Nam Camilla in terra Itala venatur neque inter venandum de gruum migratione e Strymonia in Italiam eam cogitasse aliquis dicat, quae migrationis notio longe aptius e loco Georg. I. 120. apparet, in quo *improbus anser* et *grues Strymoniae* coniunguntur. Itaque non miramur, quod Statius in idem dicendi genus incidit Theb. II. 91. *Ingens* (rex Echionius) *Fuderat Assyriis exstructa tapetibus alto Membra toro.* Sed quid tapetes Assyrii in lecto regis remotissimae antiquitatis? Quanto accommodatius et simplicius Homerus in tali re sua ῥήγεα καλὰ regibus et principibus tribuit. Tum non minus inepte apud eundem IX. 323. Parcae appellantur *sorores Elysiae* et IV. 270. Parthenopaei corytus exornatur: *Electro pallens et iaspide clarus Eoa.* Qua in descriptione (v. 265 — 275.) sine dubio Virgilium Aeneid. XI. 770 — 776. ante oculos habuit, sed tum Virgilii moderatum dicendi genus sequi neque tantae exaggerandi libidini se dare debebat. Similiter Arcades

Paphias myrtos a stirpe recurvasse dicuntur (IV. 300.) et thurum congeries in funere Archemori cum exquisita posteriorum temporum magnificentia describitur (VI. 59 — 61.). Alium locum e XII. 155. iam in §. 3. laudavimus. Maiorem excusationis speciem vel Claudianus prae se fert, qui in carmine de Nuptiis Honorii et Mariae calorem Honorii describens, quo novae sponsae obvius ivisset, illum cum equo admissario comparat. Quo quidem iure hoc factum sit Burmannus et Gesnerus iam iudicarunt: cfr. supra P. I. cap. 4. §. 3. In qua comparatione (v. 285.) equus *Pharsalia rura pervolare et notos amnes hinnitu flagitare* dicitur. Thessali quidem equi in prioribus versiculis nulla mentio facta est, sed *nobilis* appellatur et in comparatione principis cum equo instituta, statim ab initio poeta de nobilissimo equorum genere cogitasse putandus est, quanquam verum nomen paullo post addidit. His locis Propertii locus III. 11. (al. 12.) s. adiiciatur:

Inda cavis aurum mittit formica metallis
Et venit e rubro concha *Erycina* salo.

ad q. l. haec sunt Broukhusii verba: „est quidam Epithetorum abusus vel apud probatissimos poetas. Venerem enatam e mari aiunt concha marina ad Cypri litus delatam: inde conchas Veneri sacras. Eandem Venerem ex Buta filium Erycem suscepisse fama est eumque Erycem apud Siciliae Drepanum matri templum exstruxisse in monte sibi cognomine titulo Veneris Erycinae. Vides quam parum apte maris rubri conchae margaritiferae dicantur Erycinae." Circumspectior fuit Tibullus, qui eandem rubri maris concham dixit lucidam Eleg. II. 4, 30.

§. 7.

Praeter haec Epitheta, de quibus modo egimus, manifesti quoque errores in Epithetis, quae a rebus geographicis atque naturalibus poetae repetierunt, inveniuntur [6]. Ne Vir-

[6]) Dicendum tamen est, poetas latinos, in nonnullis locis, in quibus incuriae aut ignorantiae crimen sibi contraxisse videntur, ex ipsis veterum libris et recentiorum itinerariis defendi et aliqua eruditionis laude ornari posse. Ita iam Heynius cervos in Africa (Aen. I. 284) eo nostrorum peregrinatorum testimonio tueri posse demonstravit. Add. Iacobs. ad Aelian. Histor. Animal. XVII. 10. p. 565. Deinde non opus est Virgilium l. l. cervos, quales nostra terra gignit, intellexisse: fortasse hoc vocabulo aliud genus bestiarum, cervis et figura et cornibus simile, dorcadas aut antilopas Africanas (vid. Boettiger. et Lichtenstein. in Amaltheae Vol. III. p. 188 — 199) de-

gilius quidem a talibus satis sibi cavit, ut docent loci Eclog. VI. 74. VIII. 30. X. 65., Georg. I. 222., III. 435. IV. 211. 408., quos collegit Wagnerus in Disquis. Virgil. XXXX. 3. p. 594. sq. E quibus locus Georg. IV. 211.

Regem non sic Aegyptus et ingens
Lydia nec populi Parthorum aut *Medus* Hydaspes
Observant

in ultimis vocabulis tam apertum ostendit errorem, ut Wagnerus recte censeat, inanem ab iis, qui interpretatione h. l. subveniri posse arbitrantur, consumi operam. Cfr. quae §. 1. cap. 2. ad locum Lucan. VIII. 544. adscripta sunt. Maiorem mirationem v. 408. eiusdem libri quinti commovet:

Fiet enim (Proteus) subito sus horridus atraque tigris
Squamosusque draco et fulva *cervice leaena.*

De quo sic interpres nuperrimus: Primum illud molestum, quod Proteum in leaenam conversum refert, non in leonem. Prudentius Homerus in Odyss. IV. 456. *ἀλλ' ἦτοι πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος.* Tum quod *fulvam cervicem* memorat, hoc ex poetarum loquendi more de iuba accipiendum erit; at iuba leonis est, non leaenae. Ac si forte exstat aliquod leaenarum genus, quod habeat aliquam iubam, debent tamen ac solent poetae in his sequi communia, non ea, quae in aliquo genere sunt singularia." Tum idem Wagnerus, quod hic Virgilio, Valerio quoque Flacco Argonaut. III. 737. accidisse addidit. Haec sunt illius verba:

Non aliter gemitu quondam *lea* prolis ademtae
Terga dedit

et v. 740.

Misero manat *iuba sordida* luctu.

---

scribere voluit. Quod ad locos de tigribus Scythicis et Caucasiis (Aen. IV. 367. Sil. Ital. V. 135. Stat. Theb. X. 821. al.) attinet, Godofr. Fischerus in Programm. Societ. Nat. Scrutator. Mosquens. d. 22. m. Decembr. a. 1828 docuit, Iermolovium, copiarum Russicarum praefectum, tigres prope Caucasum invenisse. Idem Alexander Humboldtus, vir summae auctoritatis, confirmavit in libro egregio: *Examen critique de l'Histoire de la Géographie du Nouveau Continent,* cuius prima pars Parisiis a. 1834 prodiit. Neque erroris accusandus est Virgilius propter ursam illam Libystidem (Aen. V. 37. VIII. 368). Nam Ehrenbergius, teste Lud. Idelero in Ephemer. Liter. Berolin. a. 1834 scid. 55, ursos in veteri Mauretania et Numidia hodie quoque reperiri narravit.

Non male Vossius ad h. l.: omnino arbitror Valerium hic aliquid humanitus passum. Cfr. VI. 70. *Acesinaque laevo Omine fatidicae Phrixus movet agmina cervae*, cui statim post *aurea cornua* tribuuntur. Ad hunc locum Burmannus plura congessit, quibus id addimus, cervos e poetarum usu in genere masculino tum praecipue nominatos esse, ubi celeritatis notione opus erat, ut apud Virgil. Ecl. I. 60. Georg. III. 539. Aen. V. 253. Ovid. Metam. I. 306. XIII. 809., cuius rei contrarium Broukhusius ad Tibull. IV. 2, 13., probante Huschkio, evincere studuit. Simili ratione in collocatione v. *canis* poetae egerunt. Nam in re venatica canes feminino genere nominantur, quum marium non tanta esset praestantia quam canium feminarum, ut docuit Heinsius ad Ovid. Metam. III. 140., cfr. C. L. Schneiderum in: *Formenlehre der lat. Sprache* p. 8. et 99. Cui observationi quum plures loci repugnare videantur, ad sonum attendendum est, cui, ut Wagnerus prudenter monuit ad Virg. Georg. I. 470., in hoc quoque v. *canis* cum aliis verbis iunctura plurimum tribuunt poetae. Cfr. Burmann. ad Lucan. I. 548. et VII. 828. Hinc igitur masculinum non excluditur, quod nonnullis in locis certis de causis ponitur neque sine sensus detrimento mutari potest, ut Horat. Epod. VI. 5. et Cicer. Verrin. IV. 13, 31. Eadem de causa scriptura vulgata in Valer. Flacc. VI. 346. sq. retinenda est, in quo de Telamone, qui Canthum exanimem suo clypeo tegit, poeta ita locutus est:

seu septus in arto
Dat catulos post terga *leo*

Quis enim hic fortissimum ducem non leoni quam leaenae comparatum esse mallet! Ergo recte Pius vidit, leones masculos hic bene defendi posse, quia non de partu, sed de tutela catulorum agitur, pro quorum salute aeque leones ac leaenae pugnare solent. Cuius observationis si Marklandus ad Stat. Silv. II. 1, 9. p. 214. ed. Dresd. memor fuisset, non tam in universum locutus esset, leaenas in talibus comparationibus poni solere. Sed in loco Valerii III. 737. Marklandi exemplis scriptura nostra firmatur. Deinde quod post leaenam sub v. *miser* quasi leo intelligitur, id aliquam tamen cognationem habet cum illa poetarum consuetudine, quae subiectum, quod dicunt, masculini et obiectum feminini generis inter se coniungit. Ita Ovid. Metam. VII. 408. Cerberus *canis* appellatur *Echidnea* i. e. ex Echidna ortus. Sil. Italic. XIV. 94. *Tam praecipiti materna furori Pyrrhus origo dabat stimulos.* Hinc recte Drakenborchius in eiusdem libri quinti v. 22. sic edidit: *lateque Hymenaeo Conscia lascivo Thrasymenus dicitur unda* con-

tra Heinsium, qui scribi voluit: *Thrasymenis dicitur unda.* Cfr. plura de hac structura verborum apud Drakenborchium ad XVI. 504. et Burmann. ad Aen. V. 339.

Alia, id quod Wagnerus in fine annotationis suae addidit, est Graecorum poetarum consuetudo, de qua Spanhemius ad Callimach. Hymn. in Dian. v. 102. et plures, a Burmanno ad Aen. VI. 70. laudati, videndi sunt. Quod autem Homerus Iliad. XVII. 133. leoni tribuit, quod leaenae tribuendum erat, inde factum est, quod forma λέαινα serius in linguam graecam illata sit: vid. F. A. Wolfii Epist. ad C. G. A. Schellenbergium p. 122. et Koeppen. atque Spitzner. ad Iliad. XV. 275. p. 200.

Caput secundum.

De Epithetis Historicis et Mythologicis.

§. 1.

Post Epitheta Geographica ad Epitheta Historica atque Mythologica venimus. In qua disquisitione nihil de Homerica imitatione dicere mihi proposui, quae haud raro poetis Latinis fuit invidiosa et periculosa, qui, quum ab Homero fere omnes dicendi virtutes ita essent declaratae, ut nihil relictum esse videretur, quod melius dici posset, specie quadam, fuco et artis praestigiis novitatem aliquam carminibus suis dare studebant. Nam omnes qui legunt, nova quaerunt et novis delectantur. Misso igitur illo imitandi genere aliam viam ineamus et ea, quae latinis poetis magis sunt propria et ex ipsa populi sui indole et conditione petita, in disputationem vocemus. Duo inprimis sunt Epithetorum Historicorum et Mythologicorum fontes, quorum unus ex ipsa antiquitatis recordatione splendidaque rerum a maioribus bene et fortiter gestarum commemoratione manat, alter ex accurata urbium, fluminum, terrarum, locorum cognitione et scita antiquitatis cum statu praesenti coniunctione lectoribus a poetis aperitur. Hoc quidem Epithetorum genus, quod magnam partem ex Alexandrinorum poetarum schola fluxit, latinis poetis est proprium nec cum Homericis Epithetis nec cum recentiorum consuetudine aliquam similitudinem habet. Illud vero cernitur inprimis in Patronymicis vocabulis, ut in Romanorum nominibus Aeneadae, Romulidae, Idaei, Rhoetei aliis huius generis. De quibus accommodate ita scripsit Dissenius ad Pindar. Olymp. XIII. 14. p. 146.: „Patronymica forma antiquitus non nisi de vera aut credita origine usurpabatur, velnti Ἐρεχθεῖδαι proprie sunt Pelasgi, veteres Attici ab Erechtheo oriundi, quibus mixti postea Iones eodem nomine comprehendebantur, quia displicebat Ionicum nomen, et contrario

modo in Doricis civitatibus, qualis Aegina, Corinthus, Dorienses omnes audiunt, licet pars ex veteribus incolis esset. Sed ab Alexandrinorum tempore patronymica forma etiam de regibus et politicis conditoribus usurpari coepit, unde Latinis Romani Aeneadae dicuntur, Cyrenaei Battiadae in utraque lingua." Cfr. eundem ad Nem. VII. 50. et Boeckhii Introduct. ad Pyth. IV. p. 265. Ita apud Silium Italicum — ut ex hoc uno plura exempla petamus — statim ab initio libri primi (v. 6.) Carthaginienses appellantur *gens Cadmea*, ut v. 106. XVII. 586., *gens Agenorea* (I. 14.) et *Phoenices* (XVI. 25.), de quibus nominibus Drakenborchius recte animadvertit, Carthaginienses antiquitatis et gloriae vetustae causa sic dictos fuisse. Similis longinquitas temporum causa est, qua idem poeta de rebus vel hominibus Romanis canens non contentus est hominibus Aeneadûm (vid. Bach. ad Ovid. Metam. XV. 682.) vel Dardanidûm, sed ex Ilio vel ab Ida monte vel Rhoeteo promontorio denominationem petit, ut II. 51. Romani *Rhoetei* dicuntur et III. 207. *Idaeum genus* (coll. Stat. Silv. I. 2, 144. *iam Tybridis arces Iliacae* i. e. apparent), et III. 151. feminae Romanae *Iliacae nurus*. Idem longius fortasse, quam erat par, Epitheton sectatus Valerium Publicolam II. 8. appellavit *Volesi Spartani propaginem*. Primum enim discendum est, Valerium Volesum in Valerii Publicolae maioribus fuisse, deinde illum Volesum a Sabinis ortum, postremum, hos a Lacedaemoniis originem traxisse. Iam Drakenborchius similem locum e XV. 546. comparavit, in quo Claudius Nero vocabulis *Amyclaeus nepos* [7]) significatur, quod Claudia quoque gens a Sabinis Romam translata erat, unde idem Nero VIII. 412. *Therapnaeo* (i. e. Spartano) *a sanguine Clausi* ortus esse dicitur. Silius qui Romam ipsam XII. 515. *muros Iliacos* et Romanos ipsos *Dauni nepotes* (IV. 504. cfr. v. 631.) dixit, satis luculenter mihi declarasse videtur, quanto studio omnia ad augendam carminis sui magnificentiam et ad populi sui res antiquas celebrandas consectatus fuerit. Neque aliter egit in ceteris Italiae gentibus commemorandis. Ita XII. 151. Puteolos vocat *muros Pherecyadum*, cuius vocabuli rationem interpretes uberius declaraverunt, tum ibid. 451. Tarentinos *Oebalios nepotes* ab Oebalo Tyndarei, qui rex fuit Lacedaemoniorum antiquissimus, et XV. 320. urbem ipsam *Tarentum Tyndarium*, veluti tota regio circa Tarentum *Oebalia* appellatur a Claudian. in Prob. et Olybr. Consulat. 260. Add. I. 287. *Inachiumque virum*

[7]) Similiter Statius Silv. I. 2, 142. de Venere: *Amyclaeos ad frena citavit olores* et Martial. XIV. 161. *Amyclaea pluma*, ubi vid. intp.

terris prostravit Hiberis, sub quo Graecus ab Inacho sic dictus intelligitur, et XI. 433. *Ut strepit — Memphis Amyclaeo passim lasciva Canopo.* Canopus *Amyclaeus* dicitur, Drakenborchio notante, ob Canopum gubernatorem Menelai, qui ut rex Lacedaemoniorum *Amyclaeus* appellari potuit. Maior est Statii licentia, qui in Theb. X. 785. Argivos appellavit *Tantalidas*, quod, Scholiasta explicante, Argivi serviunt posteritati Tantali. Cfr. Bach. ad Ovid. Metam. X. 162., qui poeta insolita ratione Fast. V. 309. scripsit: *Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen.* Veneris matrem pro ipsa Venere posuit, nulla idonea causa ductus, nisi quod fortasse de lusu verborum in nominibus *Dione* et *Diana*, e quibus hanc Hippolytus praecipue coluerat, cogitaverit.

Transimus ad Lucanum, qui in rebus Romanis describendis Silio fuit continentior. Sed in rebus Aegyptiacis simili usus est licentia, veluti VIII. 475. *Tamen omnia monstra Pellaeae coiere domus* et IX. 1016. *Rex tibi Pellaeus belli pelagique labores Donat.* In his lectorum animi primum ad Alexandrum e Pella, Macedoniae urbe, oriundum revocandi sunt, tum ad Ptolemaeum, Lagi filium, Alexandri quidem in Aegypto successorem, sed nullo sanguinis vinculo coniunctum, nisi Pausaniae testimonio (I. 6, 2.) illum Ptolemaeum Philippi filium fuisse fidem habeamus [8]). Cfr. V. 60. *Pellaeum diadema* IX. 153. *Pellaeae arces.* X. 511., *Pellaei muri*, quibus Alexandria significatur. Add. Claud. in Eutrop. I. 483. *enses Pellaei* atque Sil. Italic. XI. 381., quem ipse Virgilius in Georgic. IV. 287. huius vocabuli usum docuit. Difficilior vero eiusdem verbi *Pellaeus* interpretatio est in loco Siliano XV. 300. de Philippo rege Macedonum:

> Ambraciosque sinus *Pellaeaque litora* bello
> Perfudit rapido

Quod vocabulum si quis de regno Macedonico sive de terris regum Macedonum imperio subiectis sive de locis, Macedoniae finitimis, intellexerit, id me non tantopere offenderet quam quod Philippus suas terras bello perfudisse a poeta dicitur. Sed recte Weberus in Corp. Poet. Latin. p. 882. coniecturas, quas Rupertius ad h. l. attulit, non idoneas esse iudicavit. Contra urbem Alexandriae e Grotii, Oudendorpii et Weisii sententia Lucanus intellexit X. 58.

> Quum se parva Cleopatra biremi
> Intulit *Emathiis* ignaro Caesare *tectis*.

[8]) Pausaniae fidem non habendam esse, nuperrime Rob. Geierus docuit in Commentat. de Ptolemaei Lagidae vita (Hal. 1838.) p. 1.

Scholiastes contra haec ad h. l. habet: *Emathiis tectis* posuit, non quod est in Emathia, sed quia de Emathiis campis Caesar venerat sub Pharia tecta.“ Ad quam explicationem locis pluribus, in quibus *campi Emathii* pro campis, in quibus pugna Pharsalica erat commissa, ponuntur, motus esse videtur, ut I. 1. VII. 860. VIII. 266. 531. IX. 33. et ibid. v. 1017. *Emathiis quod solum defuit armis Exhibet* (i. e. rex Ptolemaeus). Sed erravit Scholiastes. Nam nimis audax talis esset metalepsis, quum iam satis inusitate, sed non praeter consuetudinem poetarum huius saeculi Lucanus Alexandriam dixit *Emathia tecta* ob vetustum terrae Macedonicae nomen, e qua celeberrimus Alexandriae conditor ortus erat (cfr. Stat. Silv. III. 117.) et a qua terra ipse Ptolemaeus, Lagi filius, aliique Aegyptiorum reges libenter se Macedonas salutari passi sunt: vid. Pausan. X. 7, 3. Sed ab eodem Lucano non magno cum iudicio scriptum est VIII. 542 — 544.

Nilusne et barbara Memphis
Et *Pelusiaci* tam mollis turba *Canopi*
Hos animos?

in quibus Epitheton *Pelusiacum* incongruum est, quum Pelusium sit ad orientem versus, Canopus vero ad occasum. Condonandum tamen hoc esse Lucano Oudendorpius censet, qui *Pelusiacum* in universum pro tota Aegypto sumsisse videtur, ut Avienus init. Orbis descript.: *Et Pelusiaci celebrantur templa Canopi.* Sed in utroque loco a poetis peccatum esse putamus, ut in iis quae cap. 1. §. 7. enumeravimus. Audax quidem, sed non manifesti erroris accusandus est in usu Patronymicorum Valerius Flaccus II. 612.

Undarum decus et gentis, *Cretheia virgo*,
Pande viam.

Sed Helle, ad quam haec verba conversa sunt, filia erat Athamanthis, cuius frater Cretheus. Itaque Valerius Epitheton non sumsit a patre, cuius animum paternum ob summam crudelitatem filia non erat experta, sed a patruo mitiore eiusque commemorationem honorificam una cum Helles laudatione coniunxit. Tum Iason, qui ab Cretheo, patre Aesonis, genus suum ducebat, suam quoque gentem hoc vocabulo exornat. Simili ratione, ut Burmannus annotavit, *Amphitryonides* dicitur Hercules, Iovis et Alcmenae, Amphitryonis uxoris filius, et ab Ovidio Amor. III. 6, 41. *Evadne Asopis*, quae Martis et Thebes, uxoris Asopi, filia fuerat. Est hic poeta ab affectata doctrina et nimio reconditioris eruditionis studio minime liber, ut infra pluribus docebitur.

§. 2.

Alterum Epithetorum Historicorum et Mythologicorum fontem supra diximus scitam vetusti et praesentis temporis commixtionem. Contra noster sensus nostrique saeculi indoles a tali praesentis rerum status translatione alienior est et cuncta in accurato atque continenti rerum ac temporum ordine sita esse vult. Romani vero poetae cum acerrima antiquitatis exornatione id coniungebant, ut nomina recentiora terris antiquis adderent, mores suae aetatis antiquitati tribuerent, et Epitheta e praesenti rerum conditione depromentes iisdem res antiquissimae memoriae condecorarent. Quae si mira esse videntur, ad illam ingeniorum conformationem nos redire necesse est, qua ductus non solum optimus quisque, sed maxima populi Romani pars incredibili desiderio rerum antiquarum flagrabat, ita ut in legendis et recitandis rebus antiquis animus ipse fieret antiquior. Hac sentiendi ratione vel status civitatis qualis sub Augusto et iis, qui post eum imperaverunt, fuit, non mediocriter reficiebatur atque exhilarabatur. Scilicet quo tutior erat rerum praesentium conditio, eo libentius scriptores et poetae (Livium, Virgilium, Horatium, Silium, Lucanum nominasse sufficiat) res antiquas colere solebant et ingenia civium nulla alia re melius ali atque corroborari posse putabant quam assidua recordatione eorum, quae a proavis splendide et magna cum laude gesta erant. Itaque felicissimus fuit Virgilius in eligendo Aeneidos argumento. Nam primum id magnopere placuit superbis Romulidarum ingeniis, qui tam libenter sese Aeneae eiusque sociorum stirpem dici audiebant, et quovis versu, quo Virgilius maiores ipsorum seque ut terrarum dominos celebraverat [9]), impense gaudebant. Non minus, qui genti Iuliae dediti erant, maxime de condecoratione huius gentis, quam Virgilius summis laudibus cumulaverat, (ut Georgic. I. 24. sq. II. 16. sq. Aen. VI. 790. sq. IX. 449.) laetabantur. Accedebat, quod res a poeta splendide descriptae in ipsis Romanorum agris gestae erant. Itaque Romani patriae terrae amantissimi maximo ardore carmen Virgilianum comprehendebant et quasi in sinu fovebant, nomina Evandri, Pallantis, Camillae, Laviniae, Lausi, Mezentii, Messapi, Mnesthei aliorumque in summis deliciis habebant et nomina urbium Latinarum, quae aut solo aequatae aut antiquo splendore orbatae erant, tenerrimo desiderio prosequebantur, quid? quod locis ipsis, in quibus olim maxima illa et gravissima Troianorum Rutulorum-

---

9) Itaque — ut hoc unum addam — Wagnerus locum Aen. VIII. 271. contra Heynium et Nobbium recte tuitus est.

que certamina erant inita, non minus gaudebant quam si ipsi praesentes adfuissent [10]). Quae omnia cum aliis argumentis, tum hoc maxime documento confirmantur (neque huius scriptionis est plura afferre), quod Romani ipsi Aeneida *gesta populi Romani* appellare soliti sunt, quod nomen etsi per se minus accommodatum est, luculenter tamen declarat, quo et quanto gaudio Romani de hoc carmine affecti fuerint.

Virgilius igitur quum egregia carminis inventione, heroum in insigni luce collocatione et dulcissimo versuum suorum genere animos Romanorum miris lenociniis devinxisset et desiderio rerum antiquarum implevisset, in Epithetis e situ locorum petitis saepius formam orationis adhibuit, quae cum illa prolepsi, qua poetae graeci et latini orationem suam praeclare illuminaverunt, aliquam cognationem habet. Sed non ea prolepsis est, quam vulgo ita nominare solemus, ut e comparatione singulorum locorum patebit. Ita statim ab initio Aeneidos legimus:

Laviniaque venit
Litora

Rectius Virgilius de regione, quae suo tempore omnibus erat nota, nomen posuit notum, quanquam id demum post urbem Laviniam conditam accepit. Est igitur in h. v. nulla prolepsis, neque illam, me iudice, in VI. 2. reperies:

Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris

vel v. 17.

Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce

vel v. 366.

Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Iniice, namque potes, portusque require Velinos.

Ab hoc loco Iulii Hygini incipit reprehensio, quam Gellius Noct. Attic. X. 16. nobis servavit. „Quo (haec sunt illius verba) modo aut Palinurus novisse et nominare potuit portus Velinos aut Aeneas ex eo nomine locum invenire?" Posteaquam docuit urbem Veliam multo seriore tempore esse conditam, ita pergit: inscitissime igitur petit ut Aeneas portum Velinum requirat, quum id nomen eo tempore fuerit nusquam gentium."

---

[10]) Testimonia veterum satis nota sunt. Videantur, ut quaedam excitem, Donat. Vit. Virgil. §. 11. 12. ibiq. Heyn., Tacit. de causis corr. eloquent. 13., Burmann. ad Anthol. Lat. T. I. p. 352 seq., tum viri doctissimi, alias discordes, hac vero in re concordes, Bernhardy in Histor. Lit. Roman. p. 205—209 et Baehrius in libro suo utilissimo p. 132. 134. 135. ed. sec.

Deinde paullo mitius de locis, VI. 17. et I. 2. indicat, quos poetam ex sua persona κατὰ πρόληψιν historiae ita scribere potuisse concedit, sed Palinurus qui potuit (inquit) scire ea quae post annos sexcentos facta sunt? nisi quis eum divinasse apud inferos putat, proinde ut animae defunctorum solent. Sed et si ita accipias, quanquam non ita dicitur, Aeneas tamen, qui non divinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc, sicuti diximus, nullum usquam fuit?" Haec quidem Hyginus. Nos vero non ut ille speramus, fore ut Virgilius, nisi mors eum immatura occupasset, hos locos correxisset, immo poeta de locis Italiae eo, quo ipse vixit, tempore notissimis locutus non vanam quandam priscae originis famam ac speciem sibi conciliare voluit, sed ea de causa haec nomina posuit, ut maior esset carmini suo gratia apud populares homines iique graviore argumento ad legendum invitarentur. Scilicet bene novit Virgilius ingenia aequalium, nec postulandum est, ut, qui Romae vivit, omnino immemor sit moris Romani. Vid. quae Heynius prudenter monuit ad Aeneid. VIII. 1. Si igitur in nova Aeneidos editione tales locos ut Hyginus ille voluit, aut omisisisset aut mutasset, suo apud aequales honori suaeque existimationi profecto male consuluisset. Cfr. Aen. VI. 69. 809. et alios locos, quos Wagnerus in Quaest. Virgil. XXXVIIII. p. 588. sq. collegit et illustravit. Unde Senecae locus in Agamemn. 388 — 390. suam habebit excusationem. Vid. Delrius ad h. l., cuius annotationi plures Statii loci addi possunt, in quibus hic poeta in comparationibus et descriptionibus moris Romani studiosior fuit quam moris vetustissimae illius aetatis, in qua res Thebaicae gestae erant. Huius generis sunt Theb. X. 176. *domus* (Adrasti) *verenda signorum.* 530. *caeca* Argivorum in oppugnandis Thebis *testudo.* XII. 520. *lauriger* Thesei *currus.* Postremum illa *ulmi vitisque* comparatio, quae *Gaurano de monte cadunt*, *duplicemque* faciunt *iacturam coloni* (VIII. 545. 546.) plane sapit hominem Romanum, sicuti alter eiusdem libri locus v. 286. sq., in quibus *pueri Achaemenii* fit mentio, quae proprie ab his versibus aliena esse debebat, quum alia comparandi ratio ad duces Graecorum multo aptior fuisset.

Illa vero laus ob animum terrae patriae amantissimum non soli Virgilio ab aequalibus tributa est. Eadem quum aliis egregiis poetis, tum Schillero inter Germanos contigit. Qui quum in aliquo Guilelmi Telli loco nomen Ioannis Mülleri cum honorifica illius commemoratione scite intexisset, maximus, hac fabula edita, spectatorum plausus summaque acclamatio secuta est, ut quam maxime pateret, omnes, qui aderant, hac com-

memoratione esse magnopere gavisos et gloriam gentis Germanae praesentem longe maiorem fide historica et temporum computatione habuisse. Tum, quod modo de Virgilio posuimus, eum aptam antiquitatis cum praesenti tempore consociationem gloriolae e rebus nominibusque priscis haustae multum antetulisse, per alium Schilleri locum tuemur. Carmen dicimus de Ibyco vate. Hunc poeta corona e foliis pineis facta redimiendum esse iubet, usum solemnem et suis aequalibus notiorem in hac re unice secutus. At putidiusculi esset ingenii, si quis in Schilleri verba ea de causa invehi vellet, quod Ibyci tempore apium aridum in locum coronae pineae successerat (vid. Tafel. Dilucidatt. ad Pindar. Olymp. XIII. 33.), quae serius demum iterum in usum venit, notante Boeckhio ad h. l. e Plutarch. Quaest. Sympos. 5, 3. p. 545. Stephan. [11]). Ut igitur universa illa spectatorum corona in audiendo Mülleri nomine commovebatur, non minus Romani, *Bruti ultoris* vel *Camilli signa referentis* vel *Marcelli*, *qui sistit rem Romanam*, vel aliorum memoriam in Virgilii carmine recolentes, sese excitatos et iustissima superbia incensos esse sentiebant.

§. 3.

Non desunt tamen loci, in quibus maior similitudo cum prolepsi historica inest. Vid. Aen. VIII. 362.

passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis

cui alterum locum e libro VII. v. 682., in quo commemoratur *Iuno Gabinia*, quae tempore Aeneae nulla fuit, componamus vel Ovidii verba e Metam. XIV. 622. *Iamque Palatinae summam Proca gentis habebat.* Romani hic intelliguntur sub gente Palatina, quae, Micyllo interprete, circa Palatinum et ea loca, ubi postea Roma condita fuit, habitabat. Comp. Aen. IX. 9., ubi de Aenea: *Sceptra Palatini sedemque petit Evandri.* Eiusdem montis nomen nos ad narrationem Propertii de Hercule et Caco (Eleg. IV. 9, 3.) revocat:

Venit ad *invictos* pecorosa Palatia *montes*
Et statuit fessus, fessus ut ipse, boves.

In v. *invictus* plures interpretes haeserunt, sed quum ex variis h. l. lectionibus nihil auxilii peti possit, videndum est, an explicatione loco succurramus. Iam Barthius et Kuinoelius et post eos Iacobs. in Anthol. Lat. Part. II. p. 264. hic prolepsin

[11]) Boettigerus de hac re in libro suo: *Vasengemälde* T. I. Part. 2. p. 144 disputans, aetatem priorem ab aetate posteriore non satis distinxisse videtur.

statuerant. Et nobis quoque Propertius placet, qui in tanta, quam de amplitudine imperii Romani conceperant poetae, imagine montem Palatinum dixit *invictum*, sedem quasi aeternam et domicilium Romani imperii, unde ad ceteras gentes posteriori tempore maiestas populi Romani pervenisse dicitur. Talis dictio, ut recte vidit Iacobsius, in recentiore poeta esset insitata nec laudanda, sed in veterum poetis talia ad ornamenta licita atque pulchra pertinuisse ex praegressis, ut puto, intelligetur [12]). Accedit, quod longe pulchrior et vividior exstat imago, quae lectoribus cum primaria montis invicti notione statum illius, qualis tum erat, incultum et modo pecoribus utilem repraesentat. Vocabula *pecorosa Palatia*, si in epexegesi posita accipis, optimorum poetarum usui loquendi respondent, cuius moris plura exempla e Virgilio Wagnerus in Quaest. Virgil. XXXIII. 3. c. collegit. Similem prolepsin, vi tamen et gravitate inferiorem, vid. apud Silium Italic. X. 34.

> celsis Labienum *Cingula* saxa
> Miserunt muris

Sed Cingulum (in agro Piceno) iam Hannibalis tempore conditum fuisse, est licentia Silii poetica. Nam serius haec urbs a Labieno sub Caesare condita est. Add. Valer. Flacc. I. 389. Consurgit

> Nelides — Periclymenus, quem parva Methone
> Et *levis* Elis equis et fluctibus obvius Aulon
> Caestibus adversos viderunt frangere vultus.

Vid. P. I. cap. 1. §. 3. Nam Elis tempore Argonautarum non ea equorum atque certaminum equestrium laude floruit, qua postea inclaruit. Cfr. Stat. Theb. X. 234. Porro alium Valerii locum in VI. 118. Gronovius in Observatt. lib. I. cap. 18. recte sic scripsit. Haec sunt verba:

> Illius et dites monitis spondentibus Indi
> Et centumgeminae *Lagea novalia* Thebes
> Totaque Rhipaeo Panchaea rapta triumpho.

---

12) Displicuit haec interpretandi ratio Kaestnero in censura libri Iacobsiani, quae legitur in Seebodii Biblioth. Critic. 1830. Vol. II. Part. 131. Ille *montem invictum* eundem esse, qui aliis in locis intactus vel incultus dicitur, vult idque pluribus exemplis non eiusdem, sed similium dictionum, illustravit. Cui tamen interpretationi obstat, quod natura montis Palatini adiecto vocabulo *pecorosus* iam satis est descripta nec opus esse videtur, ut quae loca pecorosa appellata sunt, iterum ut cultura agricolarum expertia designentur. Neque arari aut coli poterant, quae pecudibus alendis destinata erant.

Ante Gronovium edebatur: *Lagea navalia*, sed Aegyptum a Ptolemaeo Lagi filio per πρόληψιν dici posse *Lagea novalia* Gronovius vidit. *Arva Lagi* sunt apud Lucan. VIII. 445. Tertium adiungamus locum ex eiusdem carminis libr. VIII. v. 275. depromtum:

te, *Graecia fallax*,
Persequor atque tuis hunc quasso moenibus ignem —

quem anachronismo laborare I. A. Wagnerus pronuntiavit. Scilicet Graecia serius demum male ob malam fidem audire incepit. Sed oratio est Absyrti, iuvenis iratissimi atque Graecis et sororis causa et velleris erepti maxime infensi, quem tale vocabulum pro mentis indole, e qua ob unum Iasonem omnes Graecos fallaces ac perfidos existimat, minime dedecet, immo magnam vim atque non mediocre pondus habet. Si quis Valerium in hoc Epitheto seriorem quoque aetatem respexisse dicat, equidem non magnopere repugno, immo haud ineptam diversarum temporum coniunctionem libenter fero. Simili ratione Statius in talibus luxuriatur Epithetis et per anticipationem rebus longe serius gestis ad urbes nobilitandas et homines exornandos utitur. Ita Theb. IV. 373. de homine, qui

noctis — per umbras
Nuntiat excubiis *vigiles* arsisse *Plataeas*

quo vocabulo *vigiles* magnanimitas Plataeensium et cautissima astutia, qua obsidionem Boeotorum et Lacedaemoniorum in bello Peloponnesiaco pertulerant (vid. Thucyd. II. 71 — 78. III. 21 — 24.) depingitur. Tum V. 751. 752.

Nam Deus iste, Deus: *Pyliae* nec fata *senectae*
Maluerit; Phrygiis aut degere longius annis.

Ad q. l. hic Barthius: „Mirum si iam tum *Nestoris aetas* proverbium longaevitatis habuit. Sed in talibus super omnes iudices sunt poetarum privilegia.“ Idem *annos Phrygios* non ad Priamum, sed ad Tithonum retulit. Tertius locus est XII. 509 — 511. in descriptione arae Misericordiae, quae Athenis fuit:

mox hospita sedes
Vicit et Oedipodae Furias et *funus Olynthi*
Texit et a misero mortem submovit Oreste.

Barthius, ut verba anachronismo laborantia sanaret, ea ita transposuit: *mox hosp. sedes Vicit et a — Oreste*, *Texit et Oedip. Fur. et funus Olynthi*, ne res Olynthiacae prius commemorarentur quam fabulosae Graecorum narrationes. Sed non opus est tali mutatione. Nam Statius pro more suo res diversissimis temporibus gestas iuxta posuit, quo arae illius

apud veteres celeberrimae vim et amplitudinem quam luculentissime declararet, neque ob ordinem temporum minus accurate servatum vituperandus est, quum similibus exemplis haec digressio firmetur. Vid. Virgil. Eclog. VI. 41. *Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna, Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei*, ubi bene Heynius: in tali enumeratione ordinem temporum servare non necesse erat.“ Aen. X. 36 — 38. *Quid repetam exustas Erycino in litore classes? Quid tempestatum regem ventosque furentes Aeolia excitos aut actam nubibus Irim?* Cfr. Wunderlich. Observ. in Tibull. I. 3, 47. Idem nec a scriptoribus pedestribus ordinem temporum semper accurate servatum annotavit ad loc. Virgilii pr. e Tacit. Annal. I. 10. *Antonium Tarentino Brundusinoque foedere et nuptiis sororis illectum*, ubi vid. Lipsium. Cfr. Histor. I. 50. *Pharsaliam*, *Philippos*, *Perusiam*, *Mutinam* et Wolf. ad Sueton. Iul. 44., approbantibus Wagnero et Spohnio ad loc. Virgil. Eclog. VI. 41. Quod vero ad illud *funus Olynthi* attinet, e Scholiastae verbis non satis aperte patet, quid Statius his verbis indicare voluerit. Scholiasta cives Olynthi, simulatque audierint urbis suae eversionem Atheniensibus post Lasthenis et Euthycratis proditionem (vid. Demosth. de fals. legat. p. 451. 1., Diod. Sicul. XVI. 53. et Iacobs. ad Demosth. Oratt. p. 176. et p. 590.) placuisse, ad aram Misericordiae confugisse tradit. Sed Philippus, non Athenienses, urbem delevit et cives cum reliqua praeda vendidit, teste Diodoro l. c., e quibus plures Athenas confugisse dicuntur ab Aristide in Orat. I. ad Theb. de societ. Vol. I. p. 480. ed. Iebb. De his igitur Statium cogitasse putamus. Nam quum Cassander Olymp. 116. 1. Cassandream in ipsis faucibus, quae Pallenensem agrum cum Chalcidica coniungunt, condisset, in eam colonos deduxit multos Olynthiorum, qui fugientes e patria vitam suam conservaverant: *κατῴκισε δ' εἰς αὐτὴν* (haec sunt Diodori verba XIX. 52.), *καὶ τῶν Ὀλυνθίων τοὺς διασωζομένους, ὄντας οὐκ ὀλίγους*. Cfr. Voemel. Prolegom. in Demosth. Philipp. I. et Olynth. p. 108. Dübneri in annot. ad Statium (T. II. p. 345. ed. Paris.) alia fuit mens. Hic ita scribit: „dubitari non potest, quin tangatur hoc loco mythus aliquis de Olyntho heroe, quem Olynthios quoquo modo Atheniensium rebus antiquis immiscere studuisse probabile est. Cuius rei an vestigia exstent in veterum scriptorum reliquiis, quaerere nunc non vacat, neque Voemelii et si qui alii de Olyntho libelli ad manum sunt.“

§. 4.

Minime tamen est negandum in talibus Epithetis plura a poetis Romanis esse novata, e quibus Ovidius in tractatione

rerum mythologicarum suae libidini maxime indulsit neque sibi satis a luxurie atque abusu ingenii cavit. Virgilius rarius in eligendis Epithetis iustae narrationis fines trausit et, quo felicior erat iu rerum delectu et sapientior in carmine ornando, non sine idouea causa a mythis veteribus et receptis in novam atque insolitam viam deflectere solebat. Qui si in Aeneid. III. 466. *Dodonaeos* commemoravit *lebetas*, quorum usum et praestautiam Romani longe posteriore tempore cognoveruut, eos non pretii causa ita appellavit, sed tales lebetas intellexit, quales fuerunt in templo Iovis Dodonael. Praeterea Wagnerus annotavit, Virgilium fortasse graecum queudam poetam secutum esse, qui Helenum Dodonae consedisse e loco Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. I. 32. couiecerat. Similiter in Aeneid. VI. 588. verba de Salmoneo:

> Per Graecûm populos mediaeque per *Elidis* urbem
> Ibat ovans

non ut per prolepsin dicta accipimus, sed de Elidis urbe Salmonia ad Alpheum sita intelligimus, quam Salmoneus sive condidit sive inhabitavit, ut Strabo VIII. p. 856. D. et Diodor. Sic. IV. 68. tradiderunt. Pari ratione ad vetustiores fortasse mythos Virgilius in Aen. XI. 262. respexit:

> Atrides Protei Menelaus adusque columnas
> Exsulat

nisi, ut Heynius voluit, eum in h. l. sermonem paullo audacius novsse dicas. Sed in oratione Diomedis, qui extremas terrae plagas significare vult simulque ex hac ducum Graecorum in remotissimas regiones transpositione suis verbis pondus et animo suo, auxilium Italis abneganti, confirmationem petere studet, talia ferri possunt, neque cum Servio et Cerda alia interpretandi via tentanda est. Iam si ab Virgilio ad Ovidium transeamus, eum in usu veteris mythologiae minus Virgilio consilii, plus cupiditatis ostendisse animadvertimus. Quo illustrior enim in pluribus eius carminibus, inprimis ln opere Metamorphoseon, erat opportunitas omnis Graecorum mythologiae declarandae et magna cum arte et doctrina explicandae, eo maiore ardore Ovidius eandem amplexus est. Neque enim pro illius aetatis rationibus et hominum Romanorum, quales tum erant, ingeniis usus mythologiae ln universum reprehendendus est, attamen Ovidius paullo saepius, ut soleut acria ingenia, et ineptis in locis evagatus est ac complura eàque minus accommodata, sive in nominibus sive in rebus e mythologia depromtis, congessit. Vid. Bach. ad Metam. VIII. 99. XII. 31. al. Ac primum minoris licentiae in usu Epithetorum sunt, e qua Metamorph. III. 531.

universus Thebanorum populus appellatur *anguigenae* aut VII. 212. *serpentigenae*, quamquam haec Epitheta proprie modo de parte illius populi usurpari possint, aut *Phrygia* p. *Troia*, *Phrygius* p. *Troianus*, *arx Cadmeia* p. *Thebis* et alia huius generis (Heroid. I. 54. VII. 68. XVII. 57. al.) leguntur. Sed paullo liberius poeta excurrit *Dardaniae muros excelsaque tecta* commemorans (Heroid. XVI. 57.) ad urbem Troianorum designandam, in qua tamen re aliquid ex Eustathii testimonio profecit, qui, ut Loersius annotavit, in commentario ad Iliad. II. 819. p. 267., 20. ed. Basil. ita scribit: *φασὶ δὲ οἱ παλαιοί, ὅτι Ὅμηρος μὲν διαστέλλει Φρύγας καὶ Τρῶας, Αἰσχύλος δὲ καὶ οἱ νεώτεροι συγχέουσιν.* Neque aliter Virgilius Aen. IV. 103. 140. al. locutus est. Porro maiorem licentiam, quae tamen excusationem habet ex illo studio res licet aetate et locis diversissimas in uno versiculo componendi, sequentes loci ostendunt. Metam. II. 219. (Ardent)

Virgineusque Helicon, et *nondum Oeagrius Haemos*,

qui tamen Phaethontis tempore nondum Oeagro parebat. Ibid. VI. 415.

Et *nondum* torvae *Calydon invisa Dianae*

et paullo post v. 418.

Et Nelea Pylos, neque *adhuc Pittheia Troezen*.

Fast. IV. 475. Ceres reliquisse dicitur

Himeraque et Didymen *Acragantaque Tauromenonque*

neque tamen Tauromenium, Himera atque Agrigentum eiusdem antiquitatis erant quam fabulosus ille Proserpinae raptus: cfr. Bentleium de Phalarid. Epist. in Opuscul. Philolog. p. 18. ed. Lips.

Aperta quidem prolepsis est in his locis: Metam. I. 669. de Iove

natumque vocat, quem *lucida* partu
Pleias enixa est, letoque det imperat Argum.

Maia tamen *lucida*, postquam inter stellas transposita erat, proprie appellari poterat, non ut Mercurii mater. Ibid. II. 844, s.

Litora iussa petunt, ubi magni filia regis
Ludere virginibus *Tyriis* comitata solebat.

Tyrus nondum illo tempore condita erat, sed Ovidius nomen suo tempore usitatius antiquiori appellationi praetulit. Fast. VI. 520.

Appulerat ripae vaccas Oetaeus Iberas.

Iusto cupidior meo arbitratu fuit Ovidius in Epitheto *Oetaeus* eligendo, quod post Herculis mortem recte de ipso ponitur,

minus vero in actione describenda, quae Herculem optimis viribus et egregio aetatis habitu fuisse iam per se declarat. Cfr. X. 290., ubi Pygmalion per anticipationem dicitur *heros Paphius*. Eiusdem licentiae, ni fallor, est locus Heroid. I. 83.

Atque aliquis „*doctas* iam nunc eat, inquit, *Athenas*:
Armiferam Thracen qui regat alter erit.

in quo et celebratissima Athenarum fama et nimius Antithetorum amor Ovidium ad Epitheton *doctus* eligendum impulit, quem per locum Propertii I. 6, 13., a Loersio allatum (*An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas*) defendi posse vix puto. Nam quod Propertius optimo iure de Athenis praedicare potuit, id Ovidio non licuit, qui rectius ad normam Epithetorum λιπαρὸς, κλεινὸς vel ὄλβιος, quibus Graecorum poetae hanc urbem condecorare soliti erant (vid. Wesseling. Probabil. p. 42., Wyttenbach. Bibl. Crit. III. 1. p. 49. sq. et Nitzschii librum: *Erklärende Anmerkung. zur Odyss.* T. I. p. 252.), aliud Epitheton excogitasset. Similem lusum, neque per solam prolepsin explicandum, invenimus in Metam. I. 218.

Arcados hinc sedes et inhospita tecta tyranni
Ingredior

tum II. 794. sq.

tandem *Tritonida* conspicit *arcem*
Ingeniis opibusque et festa pace nitentem

deinde VI. 416. in tempore antiquissimo

et *nobilis aere* Corinthus

in quibus locis Ovidius magis sui suorumque lectorum gratiam, quam rerum tractandarum delectum ante oculos habuisse videtur. Neque enim Lycaon re vera fuit *Arcas tyrannus*, a cuius demum nepote, Arcade, terra nomen suum accepisse traditur, neque Athenae tempore Arachnes ingeniorum laude inclaruerunt, neque Corinthus iam tum aeris praestantia floruit. Cfr. Burmann. ad Ovid. Metam. III. 169. et ad Claudian. in Prim. Consulat. Stilichon. I. 325. Tum idem Ovidius paullo insolentius in Heroid. X. 48. de Ariadne locutus est:

Aut ego diffusis erravi sola capillis,
Qualis ab *Ogygio* concita Baccha *Deo*.

Ogygium Deum dixit Bacchum. Sed proprie est regis in Graecia antiquissimi cognomen, a quo vocabulo terra Thebanorum nominata est, in qua Bacchi incunabula et maximi honores fuisse dicuntur. Hinc vetustiores Graecorum poetae (vid. Spanhem. ad Callimach. H. in Iovem v. 14.) v. *Ogygius* summam antiquitatem significare solent, quos tamen Ovidius in h. l. non secutus, cognomen insolentius vocabulo notiori (The-

banus) praetulit. Idem post eum Lucanus (I. 675.), Statius (Theb. V. 518.) aliique fecerunt.

§. 5.

Paullo maioris difficultatis est locus Ovidianus Heroid. X. 23. 24.

Ducimur Inachides *magni* sub tecta *Pelasgi*
Et socer armatas accipit ipse nurus.

Mutavit Burmannus v. *Pelasgi*, quia Danaum vel Aegyptum Pelasgos fuisse non legerat, et e quinque libris edidit *magni sub tecta tyranni*, ut Metam. I. 218. sine ulla scripturae discrepantia et ibid. v. 170. in nonnullis codicibus exstat, add. Virgil. Aen. VII. 342. Sed hic Burmannus mentem Ovidii non cepit. Itaque recentiores interpretes, Lennepius, Loerslus, Guil. Ad. Beckerus in Eleg. Roman. p. 138., et Hermannus in Dissertatione de Danaidibus p. 5. (Opuscul. T. II. p. 323. sq.) Burmanno non obsecuti sunt, qui Spanhemium ad Callimach. Hymn. in Pallad. v. 4. et Heinsium ad Ovid. Art. Amat. II. 421., audire debebat. Quorum hunc, qui Pelasgos proprie a Pelasgia Argolidis urbe dictos esse vult, nunc mittamus, neque nostrum est tantas de nomine, patria et finibus Pelasgorum lites componere. Rectius ex ipsorum veterum testimoniis in Dionys. Halic. Antiq. I. 17. et in Aeschyl. Supplic. 249. sq. elicimus, Pelasgum sive is Palaechthonis sive Inachi fuerit filius, regem Argivorum fuisse. Haec sunt Aeschyli verba: *Τοῦ γηγενοῦς γὰρ εἰμ' ἐγὼ Παλαίχθονος ἶνις Πελασγοῦ* (Canterus et Abreschius: *Πελασγός*) *τῆσδε γῆς ἀρχηγέτης. ἐμοῦ δ' ἄνακτος εὐλόγως ἐπώνυμον γένος Πελασγῶν τήνδε καρποῦται χθόνα.* Add. Dionysium l. c.: *πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαϊκὸν Ἄργος ᾤκησαν αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι. τὴν δὲ ἐπωνυμίαν ἐξ ἀρχῆς ἔλαβον ταύτην, ἀπὸ τοῦ Πελασγοῦ βασιλέως. ἦν δὲ ὁ Πελασγὸς, ὡς λέγεται, ἐκ Διὸς καὶ τῆς Νιόβης τοῦ Φορωνέως.* Cfr. M. G. Heffterum in libro: *die Götterdienste auf Rhodus im Alterthume* Part. II. p. 43 — 88. et Gust. Kiesslingium in Erschii et Gruberi Encyclop. Sect. I. P. XXII. p. 220 — 229.

Quae ad locum Ovidianum pertinent, haec fere sunt. Danaides s. Inachides ex aedibus patris Danai *ducuntur* (quod vocabulum, ut plura in hac narratione, e moribus Romanis est petitum) in tecta *magni Pelasgi*, quae hoc nomine ob antiquum illum Pelasgum appellata, deinde a Danao habitata et nunc ab ipso tradita erant Aegypto seu Pelasgo, ex quo ille una cum filiis Argos venerat, ut Scholiastae ad Eurip. Hecub. 887. et Euripides in Archelai prooemio apud Aristoph. Ran.

1237. tradunt, aliis, at Hygino Fab. 168., dissentientibus. *Tecta* igitur *Pelasgi* a poeta non aliter dicta sunt quam *arx Cadmeis* Metam. VI. 217. et alia huius generis. Epitheton *magnus* cum vi positum est, propterea quod gens nomen ab eo accepit, fere ut *magna moenia* in Aeneid. II. 295. et III. 159. ratione habita urbis Romae inde oriundae appellata sunt, tum propter splendorem regis augendum, ut apud Valer. Flacc. V. 301. *magnus rex* et in iis locis, quos enumeravimus in P. I. cap. I. §. 3. med. Deinde Hermannus acute probare annititur, Aegypti filias, quum nunquam ipse Argis advectus sit, ad regis Pelasgi domum deductas in ea ab ipso Danao, qui, Aegypto absente, soceri officium in se transtulerat, acceptas esse. Quae tamen iusto subtilius disputata esse videntur. Etenim si Ovidius hoc exprimere voluisset, voc. *socer* simpliciter posito vix contentus fuisset, sed aliqua ratione vel certo quodam vocabulo, ut in talibus facere assolet, hanc ambiguitatem significasset. Neque putamus, Ovidium in perscrutatione mythologiae tantum studium collocasse, quantum Hermannus ab eo adhibitum esse censet, immo hunc poetam, qui regis Pelasgi in summa Graeciae antiquitate partes primarias fuisse e compluribus carminum Graecorum locis et fortasse prae ceteris ex Aeschyli Supplicibus perspexerat, cupide hoc vocabulum arripuisse, quo magis in narratione ad vetusta illa tempora accessisse videretur.

Ad eundem carminis ornatum, ut Beckerus recte vidit, insolitus v. *Inachides* usus est referendus, quod nomen, si omnibus Argivorum puellis iure tribuitur, non aeque advenis illis, quae quidem perhibentur, apponi posse videatur. Sed Ovidius eos sequitur scriptores, qui ipsum Danai genus ab Epapho, Ius filio, Inachi nepote, deducebant: cfr. Odofr. Mülleri librum: *Geschichte hellenischer Stämme* Vol. I. p. 109. Adiecit Beckerus, quo melius haec paterent, locum Aeschyleum e Prometheo v. 852. sq., ubi haec inter vaticinia Promethei ad Ionem: *πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ (Ἐπάφου) γέννα πεντηκοντόπαις πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ' ἐλεύσεται,* tum ex eiusdem Supplicibus ubi Danaidum Chorus Iovem ita invocat v. 538. *γενοῦ πολυμνήστωρ, ἐφάπτορ Ἰοῦς, δι' ἇς τοι γένος εὐχόμεθ' εἶναι γᾶς ἀπὸ τᾶσδ' ἔνοικοι.*

In fine addimus, Hermannum iure quaesiisse: „quis tam ineleganter credat locutum Ovidium, ut, quum sub tecta Pelasgi dixisset, deinde *accipit aede* (quae sunt in cod. Ambros.) adiecerit?" Nihil profecto sincerius illa scriptura: *accipit ipse nurus*, quam a Beckero repudiatam esse miramur. Bene fecit Loersius, qui eleganter et more Ovidiano v. *ipse* oppositum censet v. *armatos*, ut singulare soceri officium et securitas,

qua cum se nurus accipere posse existimat, significentur. Scilicet saepissime notio dignitatis atque ex illa natae reverentiae huic pronomini subest, per quam una res vel unus homo ceteris opponitur, tum accedit illius hominis significatio, qui in gerenda aliqua re non alius hominis vel rei ministerio utitur. Exempla huius usus suppeditabit Wagnerus in Quaest. Virgil. XVIII. i.) et l.) p. 465. et p. 466.

Quam excusationem antiquitatis cum vi et gravitate repetitae superiora exempla habebant, ea tamen illi loci carent, e quibus manifesto apparet, nonnullis poetis ita commune et solemne fuisse, Epitheta fingere e rebus mythicis, ut saepe ne de aliquo qnidem eorum sensu cogitasse videantur. Huius rei exemplum legitur apud Statium Theb. VI. 84. et 99. in descriptione pyrae, quae auguris monitu exstructa erat et in qua in honorem Archemori, infantis illius immatura morte a serpente interfecti, arma insignia et munera concervata fuerunt. Sed Statius pyram descripsit, cuius molem ne mente quidem et cogitatione aliquis facile assequatur. Nam tot arborum genera et virtutes cum operosissimo verborum apparatu descripsit poeta earumque excisionem et ruinam tam amplis verbis persecutus est, ut illa descriptio, id qnod Ernestius de elocut. Latin. poet. luxurie in Beckii Actis Seminar. Philol. Vol. II. P. I. p. 143. bene observavit, vel magnae urbi exaedificandae sufficere posset. Inter haec v. 84. haec leguntur:

His labor *accisam Nemeen umbrosaque Tempe*
Praecipitare solo lucosque ostendere Phoebo

et v. 99.

cadit ardua fagus
Chaoniumque nemus brumaque illaesa cupressus.

Tale doctrinae ostentandae studium iure meritoque appellatur ineptum. Quid enim *umbrosa Tempe* in descriptione silvae Argolicae, aut, qnod magis offensioni esse debet, *nemus Chaonium?* Quasi talia pro quocunque silvarum genere in quavis terra ponere possent. Neque excusantur haec interpretatione Scholiastae, qui *Chaonium nemus* ob summam quercuum in illa terra praestantiam a poeta delectum esse dicit, vel Cortii explicatione ad locum Lucani III. 440 — 442., qui in descriptione munitionum a Caesare circa Massiliam exstructarum simili luxuria inter ilices, ornos, alnos et cupressus commemoravit *silvam Dodones.* Sed quid opus in tali loco mentione arboris conservatae atque fatidicae? Ex eodem genere est locus Claudian. Rapt. Proserp. I. 31., in quo Cererem legum et fruticum inventricem appellans ita pergit:

Unde datae populis leges et glande relicta
Cesserit inventis *Dodonia quercus* aristis.

Ad q. l. haec Gesnerus: „*Dodonia quercus* et similia poetis placuere, ut simul admonerent iuniores de patriis rerum quacunque causa nobilium. In universum hoc videtur consilium poetarum ab Homero inde fuisse, ut Geographiam, fundum quasi omnis historiae, docerent." Quod nos quoque in pluribus locis, qui in cap. 1. recensentur, declaravimus: sed minus accommodatum est, ubi de toto genere agitur, eo uti Epitheto, quod modo unam generis particulam definit. Idem Claudianus in Prob. et Olybr. Consulat. v. 22. — 24. ita locutus est:

Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton
Sidereae cedunt acies, quum *fratre retuso*
Aemulus adversis flagraverit ignibus orbis.

In quo loco iudicando mitior est Gesnerus Ernestio, qui l. c. p. 160. questus est, nobis magnopere molestam obiici cogitationem, ut tandem intelligamus *fratrem retusum* dici solem sub horizonte latentem, cuius radii, quippe in Oceanum immersi, retundi vel obtundi videantur. Porro v. 25. idem censor Claudianum operose cum acumine:

tunc *fulva Leonis*
Ira perit

scripsisse pronuntiat, qui sub his verbis non fulvum leonis colorem, sed vim ignesm, igneum Leonis sideris fulgorem intellexit. Praetulit quidem Claudianus hoc Epitheton, quod malorem sensus ambiguitatem ex eodem nasci putaret. Hoc quidem acuminis genus in Epithetis deligendis in universum minus probamus, sed si Claudianus acerbe est vituperandus, tum tota illius aetas, quae talia in deliciis habebat, una cum eo est vituperanda. Cfr. cap. 1. §. 3. fin. Unde recte Gesnerus: „*fulva leonis ira* audacius dicta videri possit, si sermo esset de colore Leonis animalis. Verum meminerimus iram Leonis coelestis esse in ignea illius vi: *fulvum* vero etiam esse apud Virgil. Aen. VII. 76. ignis et apud Tibull. II. 1, 88. siderum Epitheton. Itaque *fulva ira leonis perit* significat, igneum illum fulgorem sideris pallescere." Add. Valer. Flacc. VII. 158. *fulvus Olympus* et supra P. I. cap. 3. §. 7. not. Ad idem genus loquendi retulerim, quod in Panegyri in IV. Consulat. Honor. v. 97. manes cruenta morte peremtorum appellantur *purpurei* propter sanguinis profusionem, ut contra sanguis ipse dicitur *letifer* ab Ovidio Fastor. I. 123. Nam profusio sanguinis mortem affert. Sed Ernestium probamus, qui l. c. Claudian. in Probr. et Olybr. Consul. v. 243. *noctivagos axes* tam communi metaphora posuisse censet, ut, nisi in toto

loco de stellis sermo esset, haec verba ne intelligi quidem possent. Similem difficultatem ob magnam Epithetorum luxuriam alii loci satis aperte ostendunt, ut in Rufin. I. 102. *Non Tartessiacis illum satiarit arenis Tempestas pretiosa Tagi* i. e. qui turbatis arenis prorutas micas ostendit. 312. *Caesamque bibens Maeotida Alanus* i. e. glaciem de palude excisam et in ore liquefactam. Porro idem Ernestius Ausonium ob Epitheta luxuriantia graviter reprehendit eiusque rei testem adhibuit locum Mosellae v. 300., in quo haec leguntur:

Non hoc spernat opus *Gortynius aliger:* aedis
Conditor Euboicae, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios patriis pepulere dolores.

Moleste fert, quod Daedalus appellatus sit *aliger Gortynius*, quo vocabulo poeta posteris, quid in ea re posset, monumento aliquo prodere voluisset. Sed iterum paullo iniquior fuit iudex. Nam in his tam aperta est imitatio loci Virgiliani Aen. VI. 32. 33., ut neminem, qui mediocriter tantum in poetarum Latinorum libris versatus erat, fugere posset, qualem hominem his versibus Ausonius indicare voluerit. Itaque primaria in Epithetis eligendis lex, ut a legentibus intelligantur, a poeta, quantum video, servata est. Neque, si cetera spectamus, illud Epitheton ab Ausonio ita inconsiderate positum esse putamus, ut tantum creet fastidium nostrae aetatis interpretibus.

INDEX SCRIPTORUM

VEL VINDICATORUM VEL ILLUSTRATORUM VEL TENTATORUM.

INDEX
VERBORUM ET RERUM.

A.

EMENDANDA ET ADDENDA.

Pag. 24. lin. 5. deleatur XX.
— 29. — 33. leg. *atque* p. *ut qua.*
— 51. — 21. — *quondam* p. *quodam.*
— 58. — 27. — *Bachio* p. *Beckio.*
— 91. — 6. — *ruptis* p. *raptis.*
— 93. — 23. — *perculsum* p. *proculsum.*
— 152. — 2. — *laxa fornace* p. *lassa fornace.*
— 154. — 8. *calcari* p. *culcari.*
— ib. — 26. *βάσσαις* p. *βύσσαις.*

Ad p. 40. not. In loco Ovid. Metam. XIV. 750. verba *ultor Deus* de Venere interpretatus sum. Sed Keilius, Collega Carissimus, mecum communicavit locum e Plutarchi Amator. (c. 20.) p. 766. D. *ὡς ἐρασταῖς ἀγνωμονηθεῖσιν ὁ Ἔρως ὀξὺς ὑπακούει, τῶν ἀπαιδεύτων καὶ ὑπερηφάνων κολαστής*, quibus Anteros (vid. Winckelmann. ad h. l. p. 223.) significatur; eundemque, non Venerem, in Ovidii loco intelligendum esse statuit. Cuius rei testem gravissimum Keilius laudavit Böttigerum in Collectione Scriptor. Minorum, quam Silligii curae debemus, T. I. p. 160.